PSALMUS TRIGESIMUS SEPTIMUS.

1 Pſalmus David, in rememorationem de ſabbato.

2 DOmine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

3 Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: & confirmaſti me ſuper me manum tuam.

4 Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.

5 Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.

6 Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.

7 Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar.

8 Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea.

9 Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

10 Domine, ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

11 Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.

12 Amici mei, & proximi mei adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt.

Et qui juxta me erant, de longè ſteterunt. 13. & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates; & dolos tota die meditabantur.

14 Ego autem tamquam ſurdus non audiebam; & ſicut mutus non aperiens os ſuum.

15 Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargutiones.

16 Quoniam in te Domine ſperavi; tu exaudies me Domine Deus meus.

17 Quia dixi; Ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei; & dum commoventur pedes mei; ſuper me magna locuti ſunt.

18 Quoniam ego in flagella paratus ſum; & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

19 Quoniam iniquitatem meam annunciabo; & cogitabo pro peccato meo.

20 Inimici autem mei vivunt, & confirmati ſunt ſuper me: & multiplicati ſunt, qui oderunt me inique.

21 Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi; quoniam ſequebar bonitatem.

22 Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne diſceſſeris à me.

23 Intende in adjutorium meum, Domine Deus ſalutis meæ.

TITULUS.

Verſ. 1.) Pſalmus David, in rememorationem de Sabbato.

EGent declaratione quatuor ultimæ voces. Sed ſciendum priùs, Hebraicè deeſſe duas ultimas, nullamque de Sabbato mentionem fieri: nec verum eſt, quod ait Lyranus, videturque concedere Folengius, in Hieronymi translatione haberi, *in commentationem ſabbati*. Nicolaus Trevetus, exponens Pſalmos ex eadem translatione Hieronymi, non ponit *Sabbatum*; immò negat in eo eſſe, ſicut, & in Pſalterio Romano, ſed in Gallico, & additum eſſe à quibuſdam interpretibus. Aliqui, ut, Faber, attribunt etiam pſalterio Romano. Recipitur paſſim integer hìc titulus à Græcis, & Latinis, quamvis dubitaverint, Alenſis, Hugo, Thomas, & ex Latinis Caſſiodorus omiſerit, ex Græcis Baſilius non in homilia, ſed in ſcholiis, & Theodoretus, qui videtur fere idem cum auctore ſcholiorum apud Baſilium: præterea Euthymius, Nicephorus, Apollinarius, Cyrillus, Nyſſenus *a*.

De verbis tituli controverſia.

a Tract. 2. in Pſ. c. 6.

In rememorationem.) Ita etiam in titulo Pſal. LXIX. Hieronymus in verſione ſua, *in commemoratione*: in Epiſtola ad Algaſiam, *in commemorationem*: ubi nihil de Sabbato, de quo in Commentario, qui inter alias cauſſas fortaſſis non eſt ejus, ut aliàs dixi. Et ut hoc obiter nunc dicam, licèt in Synodo Francofordienſi ſub Adriano I. B citentur ex Commentario Hieronymi in Pſalmum XLIV. quæ extant ſecundùm ſententiam in eo, qui tribuitur ipſi, tamen potuit eſſe alius Commentarius, quem ab eo editum nemo dubitat: & in Concilio Parienſi *b*, quod citatur ex ejuſdem Commentario in Pſal. XIV. non reperitur in eo, qui nunc legitur, ut Hieronymi. Sed ad rem, legit quoque *in commemorationem*, Ambroſius: Caſſiodorus eo modo, quo Hieronymi verſio habet: Auguſtinus, *in recordationem*: Innocentius III. *in rememoratione*, ſicut, & Ruffinus, Remigius, Haimo, Lombardus, Alenſis, Hugo, Thomas, Valentia, & alii. Multo meliùs in accuſativo, *in rememorationem*, ſive *commemorationem*, ſive *recordationem*: quæ ſynonyma ſunt, quia hoc importat *εἰς ἀνάμνησιν*, & להזכיר *lehazchir*. Chaldæa paraphraſis, ut eſt in bibliis Regiis, idem expreſſit לדכרנא *ledachrana, in memoriam*: ſed in textu Auguſtini, Juſtiniani Epiſcopi, Nebienſis, extat על צתיו לבונתא *bhal tſerar livonetha, pro faſciculo thuris*: tum additur illud aliud, *in memoriam*, & in fine *Iſraelis*, ut ſit *in memoriam Iſraelis*. Sed nihil de ſabbato.

b l. 1. c. ult.

C Quid autem ſibi velit, *memoria* iſta, *commemoratio*, *rememoratio*, *recordatio*, variant ſententiæ. Miſſis Hebræis, qui ut in ſimilibus aliorum Pſalmorum titulis vidimus, ajunt להזכיר *lehazchir*, nomen eſſe inſtrumenti muſici, aut modulationis ad inſtar vulgaris cantilenæ, cujus initium tale eſſet; Patres noſtri, ac interpretes, quidamque de Hebræis ipſis, aliud volunt. Nam, vel David in hoc Pſalmo beneficium memorat, quo à gravi morbo liberatus fuerat, provocans alios ad ſimiliter orandum, ſi quando incidant in morbum. Vel memoria præteritæ caſtigationis, aut per morbum, aut per filii perſecutionem, ſemetipſum, ac ſuos alios exemplo coercet à peccando *c*. Vel ne actius puniantur, commemorat populi mala quaſi ſub totius agens perſona: ut innuit cum R. Salomon, & præter Hebraizantes, etiam Apollinarius, dicitque; Davidem ſe iis ſuperiorem ſignificare malis,

c Vatablus hac avo ex Hebræis;

> *Μιμνήσκων παθέων βροτέων Δαυΐδ θεὸς ἀμύμων,*
> *Ὧ πάθε, κἠκ παθέων παντυπέρτερος ἔσκε πεποιθώς.*
> *Memor calamitatum mortalium David inculpatus,*
> *Quas pertulit, & afflictionib. ſuperior fuit laceſſitus,*

D Favet Chaldæa paraphraſis priùs citata. Vel, *rememoratio* idem valet, quod laudatio, prout Iſaias canit *d*, *Mementote, quoniam excelſum eſt nomen ejus*, ita ut hìc laudatio in Pſal. ſit mirabilium operum Dei *e*. Vel redigis in memoriam, quanta per peccatum, & originale, & proprium, amiſſa ſint bona, deſignata nomine *ſabbati*; nempe, quam ſabbatum ſignificat, quies in illo ſtatu innocentiæ: pax, & tranquillitas conſcientiæ: denique præparata juſtis felicitas, qui *ſabbatiſmus* à Paulo *f* dictus intelligi poteſt *ſabbatumque ex ſabbato* ab Iſaia *g*: ſic plurimi de Latinis, & Origenes, atque Cyrillus, quamvis hìc non meminerit de ſabbato, ſed dolum de memoria, & pœnitentia peccatorum. Ambroſius autem plenam aſſerit pœnitentiæ definitionem, ut ſit commemoratio delictorum, & unuſquiſque peccata ſua velut quodam quotidiani ſermonis caſtiget flagello, & commiſſa ſibi flagitia condemnet; ſic enim dicendo *iniquitates ſuas juſtificari*, & ita (qui

d c. 12. 4.

e R. Kimchi

f Heb. 4. 9.

g c. ult. 23.

ſenſus accommodatitius eſt) *ore confeſſionem fieri ad ſalutem a*. Nyſſenus *b* etiam idem docet, appellans compendiarum doctrinam ſalutis noſtræ, ut memoria retineamus præceptum divinum, cujus oblivio viam ad interitum aperuit. Athanaſius ait, calamitatis, quam propter peccatum habuit David hìc reminiſci, & orare, aut finem imponi calamitati, aut mundari ſabbati peccatum.

eund. Lxx. a Rom. 10. 10. b Tract. 2. in Pſal.

Chryſoſtomi *c* planè diſcrepans à prioribus opinio eſt, ſermonem haberi commemorationis ſabbati, non legalis ſed ejus, quem Joannes *d magnum diem* vocat, ſcilic. poſt paraſceven, in qua paſſus eſt Chriſtus, ac de ipſius Chriſti paſſionibus Pſalmum loqui. Cum Chryſoſtomo tamẽ conſentiunt, Bredembachius, Folengius, Janſenius, Hieronymus, qui ſenſu myſtico volunt eſſe prophetiam de Chriſto, qui loquens inducatur in cruce, noſtraque in ſe translata peccata confitens, deplorans, expians: nunc etiam præterea in nobis, tamquam in membris, quum, & nos in carne cenſeamur implere, quæ deſunt paſſionum Chriſti, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia *e*.

c in He To. 1 d c. 19. 31.

e Col. 1 18.

Refert Caſſiodorus aliquorum ſententiarum, Pſalm. totum ad Job pertinere paſſionem, qui proponatur me- B moriæ pœnitentis exemplum, ad onera ſua leviora oneribus ipſius, patienter ferenda. Euſebius, & in homilia Baſilius, quia prima ſententia iſtius Pſalmi eadem eſt cum ea, unde inchoatur ſextus, & reliqua ſexti, iis quæ continentur in hoc, affinia ſunt, volunt voces has, *in rememoratione*, nos remittere ad titulum ſexti, ut hujus noſtri ſit quoque titulus, *in finem in carminibus, ſive hymnis, Pſalmus David, pro octava*, ſubdit uterque (niſi mavis unicum eſſe auctorem ſub nomine duplici) quum variè in multis Pſalmis de admiſſo peccato David ſit confeſſus, præſentem propriè ſibi delegiſſe, in rememorationem, ut ſemper in ore ferret ad animi ſui curationem, denique preces offeret Deo.

Equidem judico iſtius Pſalmi tituli, quod attinet ad hæc verba *in rememorationem*, rationem eamdem eſſe debere, cum iiſdem verbis, ut ſunt in titulo Pſalmi LXIX. quod, & Nyſſenus jam bis citatus docuit.

Quum igitur in titulo LXIX. Pſalmi addiderint LXX. *εἰς τὸ σῶσαί με τὸν Κύριον, eo quod ſalvum me fecerit*, aut, *ut ſalvet me Dominus*, probabilem cenſeo. Agelii conjectu- C ram, ſenſum eſſe in ambobus Pſalmis ad commemorandum Deo, & ad ſurgendum ei, ut miſereatur, & ſalvet: ita in Pſ. LXIX. Hilarius ſentit, & quidam alii, volentes indicare Pſalmum eſſe memoria dignum, quia formulam orandi contineat, quam ſequi debeant fideles: ne incidant in oblivionem ejus, à quo, vel auxilium, vel veniam expectant, & aut ſui, ad ſalutem, commemorationem fieri apud Deum deſiderant, aut eorum ad pęnam, qui ſibi ſemper infeſti ſunt. Confirmant hoc luculenter, quæ de primo Pſalmi LXIX. verſu copioſè diſſerit Caſſianus *f Deus in adjutorium meum intende*.

f Collat. 10. c. 10.

Homo velut alter Corvinus Meſſala nominis oblitus ſui *g* non recordatur, utpote אנוש *enos*, quod nomen hominis *obliviosum* valet, & ab humo eſſe, & *ἄνθρωπον*, hoc eſt, oculos mentis convertere in cœlum debere. Idcircò fer. 4. Cinerum ſuggeritur nobis ab Eccleſia memoria, quòd ſimus homines ex humo, pulvereq; & in Evangelio, ut dirigamus operum intentione in Deum, ubi theſaurus noſter eſt, & in Epiſtola, ut ad eumdem convertamur. Hæc important omnia tituli verba, *in commemora-* D *tionem*, videturq; veluti annulus ex Pſal. confici, ſimilis ei, quem Prometheus confeciſſe ſcribitur *h*, poſtquam vinculis, quibus damnatus erat à Jove, liberatus eſt ea lege, ut inde annulum lapide, & ferro compactum geſtaret, ne omnino exolutus pœna cenſeretur. Quod ſi ratio habenda Chald. paraphraſis, ut eam Nebienſis Latinè reddidit, *pro faſciculo thuris in memoriam Iſraelis*: aut, *ad incenſandam*, ſive, *ſuffumigandum*, dicemus Pſal. lachrymis reſperſum pœnitentiæ, odorem quædam, ac ſuffitum ad Dei nares attollere, ut obſervavit Folengius.

g Plin. lib. 7 c. 24.

Promethei annulus. h Plinius lib. 36.

De Sabbato.) Sic etiam Græcè in Bibliis Complutenſibus Regiis, alii *περὶ σαββάτου*, ex Latinis Enarratoribus antiquis multi legunt *ſabbati*, abſq; ulla præpoſitione, Ambroſius, *diei ſabbati*, aut juxta editionem aliam cujus meminit *ſabbatorum*. Dixi exponens titulum Pſal. 23. *prima ſabbati. Pſalmus David*, dies notatos in titulis Pſalmorum, deſignare Pſalmos in illis potiſſimùm recitari ſolitos, & decantari. Quocirca ſenſus etiam hìc eſſet, non quòd in Pſalmo noſtro mentio fiat ſabbati, aut de ſabbato, ſed quod eo die præſertim caneretur. Unde idem erit A de ſabbato, & de die ſabbati, quod, in ipſo illo die canendum Pſalmum, ſive deſtinatum eſſe pro ſabbato. Propoſitio quidem Græca *περὶ* quum genitivo ſignificat, quoque *pro*, ut *περὶ ψυχῆς μάχεσθαι pro anima vitaque pugnare*, & in oratione Demoſthenis *περὶ στεφάνου* non pauci exponunt *pro corona*. Sed, & Latine, *de die*, aut *de nocte cantare*, & *in die*, vel *nocte*, idem eſt, ſicque etiam idem erit, Pſalmus de ſabbato, quòd, canendus in ſabbato. Pſalmi XCI. titulus eſt, *Pſalmus cantici in die ſabbati*. Celebriori diei congruit memoria diviſionum beneficiorum, ſimulque animi adverſus ea immemoris ingratique, propterea offenſi Dei, quod exigunt aliqui Theologi, ut feſta ritè celebrentur.

De myſticis notionibus, *ſabbati* ſufficit, quod attigi: plura ſi cupis lege, potiſſimùm Origenem, Ambroſium, Auguſtinum, Innocentium, Nicephorus putat, Pſalmum, *pro ſabbato*, inſcribi, ideſt, pro quiete, & ceſſatione à doloribus, & calamitatibus.

ARGUMENTUM.

DE Argumento facile judiciũ ex dictis. Nam ad literam videtur David vim morbi deplorare, in quo ſit à ſuis deſertus, & neglectus; ab inimicis autem falſa, & vafra viſitationis humanæ ſpecie deluſus; quum patientiam tunc tamen adeo retinuerit, ut ne verbum quidem ad injurias, doloſque reſponderet. Sub finem implorat Deum, ut morbo corporis, & animi ægrimoniæ afferat remedium, & auxilium. Huc ſpectant etiam, quę Pſalmo VI. præfati ſumus, qui primus eſt ex pœnitentialibus.

De morbo, quis fuerit, nihil mihi curæ, ac nec etiam, an corporis morbus fuerit, quem ob putredinem, corruptionemque cicatricum, illuſionemque lumborum, de qua ſit hìc mentio *i*, ſuſpicantur quidam ulcus, & apoſtema circa lumbos, & femora, de quo in Numeris *k*, Deuteronomio, inter maledicta legis, & quo ægrotavit Ezechias *l*.

i v. 8. K c. 5. 21. 4. 28. 35. l Iſ. 38. 21.

C Poſſunt figuratè per iſta deſignari afflictiones, ac dolores multiplices, quibus tum corpus, tum animus Davidis diſcruciabatur propter peccatum, & præterea ob moleſtiſſimam illam Abſolonis perſecutionem. Nec enim credo ex aliorum dumtaxat perſona Davidem deflere hìc ſua peccata, ut Origenes tamen in cap. 7. Epiſtolæ ad Romanos præ ſe fert, tam multa comprehendi denotat in titulo nomen *rememorationis*: ſunt quibus placet *m*: primum pœnitentialem Pſalmum de contritione: ſecundum eſſe de confeſſione: hunc, de ſatisfactione: quia in primo dicit Pſalmographus animam ſuam turbatam: in ſecundo, ſe confeſſurum: in hoc, ſe afflictum, & humiliatum nimis.

m Tepinus.

Verſ. 2.) Domine ne in furore tuo arguas me; neque in ira tua corripias me.

INnocentius III. numerat ſecundùm translationem Romanam verſus viginti, & unum, ſeu tres eorum D ſeptenarios, juxta triplex ſabbatum, quod in titulo eſt, temporale, ſpirituale, æternale. Vide tu ipſe apud illum myſticam iſtam enumerationem. Nunc in Pſalterio Romano viginti dumtaxat verſus reperio: in Bibliorum ordine dempto tit. 22. hoc etiam omiſſo, prout diſponuntur in officio Eccleſiaſtico, & recitantur, 23. Sed hoc parum refert. Porrò, ut Euſebius, atque Baſilius annotaverunt; non tantùm verſus iſte cum primo Pſal. VI. dictionibus, & ſyllabis iiſdẽ conſtat. Hebraicè tamen ibi priore loco eſt באפך *be appecha*,) hic בקצפך *bekitſpecha*, quæ tamen ſynonyma ſunt, ſed reliqua ejuſdem affinia ſunt his, quæ in iſto afferuntur. Nam in VI. inquit Baſilius dicebat, ſua ipſius oſſa eſſe humiliata, inq; gemitu ſuo animam laboraſſe; adjecit inſuper: *lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo*. In hoc Pſ. dicitur: *non eſt ſanitas in carne mea; & non eſt pax oſſibus meis*, &c. & ſimilia ſunt in toto hoc Pſal. quibus deflet miſeriã ſuã. Quapropter ne repetantur eadem cum legentis faſtidio, ut Gregorius quoq; monet, repetet lector, ſi volet, quæ in expoſitione Pſalmi VI. ſunt allata, quo pacto abſq; imperfectione ira, furorq; dicantur de

De numero verſuum hujus Pſal. controverſia. Myſtica enumeratio.

Hujus Pſal. cum ſexto affinitas.

Deo: quod etiam docet Claudianus Mamertus *a*, alia nunc adjiciam:

a l. 1. de ſtat. animæ.

Comparat deprecationem iſtam Baſilius cum ægro, qui non abnuat medelam, ſed laborem, doloremque remedii detrectet, qui lenia, ac mitiora pharmaca deſideret, ignem, ferrum, inciſiones deprecetur. Videri præterea poteſt præ dolore, ac timore verba eadem repetere, quæ Pſalmo VI. dixerat, de propitiatio peccato, non exiſtes ſine metu. Sic fugiens, & vitans damna præterita, ut capreæ, cervoque ſimilis reflectat cervicem memoriæ ad eadem. Tinnitus reſtat ex priore quaſi pulſu campanæ, ideſt, ex ingenti terrore Auguſtinus, legens, *Domine ne in indignatione tua arguas me, neque in ira tua emendes me* pœnam in inferni, & purgatorii exponit ſignificari. Eadem Gregorii ſententia: noſque Pſalm. jam VI. indicavimus. Vocat Gregorius ignem illum tranſitorium, purgatoriumve omni tribulatione præſenti intollerabiliorem. Auguſtinus monet non eſſe contemnendum, quia gravior eſt, quàm quidquid poteſt homo pati in hac vita, quum tamē hæc mala homines ne patiantur, quidquid juſſeris, faciant. Idem eſt apud eumdem aliis in locis *b*. Bedam hoc loco, Anſelmum in 1. ep. ad Corinth. *c* & in Elucidario. Bernardum de obitu Humberti, Felicianum Aurelianenſem *d*, Cæſarium Arelatenſem *e*, & eſt conſtans opinio, cui Soto *f* temerè contradicit: docens dolorem ex igne purgatorii non futurum majorem, quàm ſit dolor, qui nunc ab anima percipitur, ex externa corporis combuſtione. Patet id præterea ex multis revelationibus, quas Bedæ continet Angelorum hiſtoria *g*, & Dionyſii Carthuſiani tractatus de quatuor noviſſimis, & vita Chriſtinæ mirabilis. Placet mihi tamen Bonaventuræ *h* ſententia, maximam quidem pœnam purgatorii, quæ dicitur pœna ſenſus, eſſe majorem pœnis præſentis hujus vitæ, ſed aliquam minorem eſſe poſſe aliqua huius ejuſdem vitæ. Beda *i* narrat, quoſdam in purgatorio tam leves paſſos pœnas, ut nihil pati viderentur.

Pœna purgatorii.
b Serm. 41. de Sanctis l. de vera, & falſa pœnit. c. 18. in tom. 4. 2. & l. 50. Hom. 20. 16.
c in c. 3.
d admon. 3.
e Hom. 8.
f 4. d. 13. a. 3.
g l. 3 & 5.
h 4 d. 20. q. 1 quaſt. 1.
i l. 5. hiſt. c. 13.

Ratio etiam ſuadet, ſi quis decedat cum ſolo debito unius verbi otioſi, non paſſurum graviora ſupplicia cunctis, quæ hìc tolerari poſſunt. Accedit, quod pęnæ purgatorii remittuntur aliquando, ut cognoſcitur ex revelatione Malachiæ, orantis pro ſorore defuncta *K*: & idcircò prope finem tanta poterit remiſſio, eſſe, ut amplius remitti nequeant. Abſentia verò diviſionis divinæ, & dilatio, affligit quidem animas *l* in purgatorio detentas, ſed triſtitiam certitudo felicitatis acquirendæ valdè mitigat, eoque magis, quo proprior eſt exilii finis: Salva nihilominus lege divinæ juſtitiæ præſcribentis certam quantitatem pœnæ. Alioqui partes in limbo ante reſurrectionem Chriſti, vel mortem, graviſſimam pęnam paſſi eſſent, quod repugnat verbis Abrahæ, dicentis de Lazari *m* *hìc conſolatur*: & locus ille non tormentorum, ſed *requiei* vocatur ab Auguſtino *n*, atque Gregorio *o*; & ſeptimus Machabæus, de prioribus fratribus interfectis, quos imitari fortiter volebat, tyranno reſpondit, *modico nunc dolore ſuſtentato ſub teſtamento æternæ vitæ effectos eſſe* *p*. Immò fieret, ut ſanctiores animæ in purgatorio ex dilatione viſionis DEI, etiam ſi leviſſimas culpas haberent, & reatus, acerbiùs punirentur, ſecundùm hanc pœnam damni: quod certè non eſt conſentaneum rationi. Legendi de noſtris Peltanus *q*, Bellarminus *r*, Suarez *ſ*, ex quibus etſi primus videtur in contraria ſententia, ſecundus tuetur noſtram, & ultimus non nihil propendet.

K Bernard. in vita Malach.
l Prov. 13. 12.
m Luc. 16. 25.
n Epiſt. 2. 9.
o 13. Moral. c. 22. vel 27.
p 2. Machab. 7. 36.
q de purgat. c. 12.
r 2. de purg. c. 14.

Hæc ego pluribus non diſputo, maximè quum intelligam haud adeo litteralem verborum iſtorum ſenſum eſſe de inferno (de cujus quoque tormentorum gravitate quidam hìc tradunt, ut Pepinus) & de purgatorio: ut nec quem Bernardus *t* tradit de peccato angeli extollentis ſe in Cęlo, & hominis in paradiſo, quorum hìc mitiùs in ira, ille ſeveriùs in furore punitus eſt, immò damnatus, aut etiam de quorumdam hominum temporalibus in hac vita pęnis, & aliorum in alia æternis; quia filii iræ * nati abuſi ſunt miſericordia, & theſaurizaverunt ſibi iram *u*, quæ accumulata fit furor Hieronymi quoque in Joelem *x*, & Nahum *y*, expoſitio myſtica eſt, furor, ac ira ſint ſpiritus mali, quibus utatur ad puniendum Deus Euſebius, & Baſilius hoc loco idem dicunt, Origenes, de bonis procuratoribus, & actoribus noſtris, confirmans ex Paſtoris libro, in quo deſcribitur angelus pœnitentiæ, qui nos ſuſcipit caſtigandos, Deum quædam peccara per ſeipſum punire: orare Davidem, ut ſiquidem ipſemet Deus corripere velit, non hoc in ira ſive furore faciat. Hæc, & ſi myſticè dicta, oſtendunt adverſus Hæreticos noſtri temporis à verè juſtis pœnam Deum in hac vita repetere, tamquam iratum, & ſatisfactionis exigendæ cauſa. Qua de re Valentia noſter *z* & Turrianus *a*, quia ephraſticè Pſalmum hunc totum in iſtam ſententiam declarat, ſimul cum loco Pauli ad Corinthios *b*, de triſtitia pęnitentiam operante. Illud etiam opportunum monitum, ne cum iræ impetu, aut immanitate caſtigatio, ac reprehenſio fiat, ut præcipit Plutarchus *c*. Ne in ſervos quidem commoto in ira animo animadvertendum monet Xenophon *d*. Ea in re ſibi temperaſſe Platonem Archytamque aliàs retuli ex Valerio *e*, & Cicerone *f*. Prodit etiam Plutarchus ad quemdam ex Helotis ad ſe arrogantiùs accedentem, à Charillo reſponſum cum juramento, *niſi iratus eſſet, occiſurum fuiſſe*.

ſ 3 p. tom. 2. diſt. 46. ſect. 3.
t Ser. 69. in Cant.
* Eph. 4. 25.
u Rom. 2. 5.
x in c. 2.
y in c. 1.
z in 1. 2. diſp. 6. q. 17. puncto 5.
a 4. de dogm. charact.
b c. 7. 10.
c opuſc. de iis qui tarde à numine corripiuntur.
d 5. Hiſt.
e lib. 4. c. 2.
f Tuſc. 4.

Verſ. 3.) Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam.

EXponit cauſſam, cur petat moderationem vindictæ divinæ, ac ſeveritatis, quia multis jam affecerit ſe Deus, velutique confixerit miſeriarum ſagittis, & ictibus validè incuſſis percuſſerit, quaſi omne immittere malorum pondus in ipſum ſtatuerit.

Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi.) Symmachus, teſte Baſilio, Euſebio, Euthym. legit τὰ βέλη σοῦ καθίκετό μου, *ſagittæ tuæ attigerunt me*. Alii ex Hebræo, *deſcenderunt*, demiſſæ ſunt, depreſſæ, contortæ, directæ. Verbum Hebræum in niphal, eſt נחתו *nichathu*, vel legerunt LXX. & Hieronymus à חתת *chathath*, quod eſt inter alia *percellere* נחתו cum daghes, *nichatthu*, vel quia interdum in ſimilibus verbis omittitur daghes, eadem lectione uſi ſunt, qua nos, ſed à dicta radice, non verò à נחת *nachath*, deſcendit. Sagittæ infixæ clades ſunt, & calamitates in animo, & corpore, quæ Davidem conficiebant, propter peccatum, non leviter, ſed altè, ac profundè; ita ut non facilè recederent. Minas quoque intentatas à Nathan, & Gad, Euſebius, & Baſilius, intelligunt: Vel ignea illa *g* tela diaboli, quibus inflammatus eſt David in concupiſcentiam uxoris Uriæ *h*. Alii ſagittas divini amoris accipiunt, quo jam poſt pœnitentiam ſaucius David petat leniùs agi ſecum in pœnis. Extendunt Patres alii ad miſerias naturæ humanæ, ob originalem culpam: vel ad perſecutores Eccleſiæ, Chriſtique capitis in ſe dum viveret, & poſtea in ſuis membris: vel ad verba divina, quæ ſauciant, aut amore, aut timore.

g Eph. 6. 16.
h 2. Reg. 11. 4.

Hujuſmodi ſive tropologias, ſive allegorias attigi, ſed paullò quàm hìc, diligētius Pſalmo VII. *i* *k* XVII. * Job *l* lamentabatur ſagittas Dei in ſe fuiſſe, quarum indignatio ebibiſſet ſpiritum ipſius: & terrores Domini militaſſe contra illum; quod Ambroſius hoc loco ita recitat ex editione LXX. *Sagittæ Domini in corpore meo ſunt, quarum furor bibit ſanguinem meum, & quum incipio loqui, compungunt me.* Rurſus, *pharetram ſuam*, ait Job *m*, *aperuit*, & *afflixit me*. Sagittæ, quia jaciuntur, longeque feriunt, auctorem denotant calamitatum Deum, cujus eadem de cauſſa dicuntur eſſe, & quia magnæ, ac fortes. *Infixæ* importat hærentem ex robuſta percuſſione dolorem: quam Poetæ quoque doloris magnitudinem ſimilitudine iſta expreſſerunt, agentes de Hercule,

i v. 14.
K v. 1.
* verſ. 15.
l c. 6. 4.
m c. 30. 11.

——n perque altam ſaucius Oeten
Haud aliter graditur, quam ſi venabula taurus
Corpore fixa ferat.
& ——o *hìc cœlum horrido*
Clamore complet, qualis impreſſa fugax
Taurus bipenne, vulnus, & telum ferens
Delubra vaſtro trepida mugitu replet.

n Ovid. 9. Metam.
o Seneca in Herc. Oeteo actu 3.

Auctor Eccleſiaſtici *p* ut doceat quanta ſtultus vergeatur cupiditate audita communicanti, adhibet eamdem comparationem. *Sagitta infixa in femore carnis* (perperam alii, *canis*) *ſic verborū in corde ſtulti:* affligit enim altiùs intra carneū infixa femur ſagitta graviter, donec extrahatur. Deniq; Symbolū imperii ſagittarius erat *q*, autem idcircò nummis inſculpſit Darius, quia eminus feriunt ſagittę. Eadē cauſſa mors, cui parent omnia, ſagittis armata plumbeis, cupido aureis pingitur. Liceat mihi nunc animi gratia ejaculari, ſine cujuſquā vulnere, abſq; damno veritatis, ut indulgeam amori erga provincialem meum martyrem illuſtriſſimum Sebaſtianum (fuit is patre Narbonenſi) Jonathas amiciſſimo Davidi ſignum dedit, quo internoſceret patris animum bene, aut malè affectum *a*, *Si dixero puero; ecce ſagittæ intra te ſunt, tolle eas; tu veni ad me, pax tibi eſt, & nihil eſt mali, vivit Dominus: ſi autem ſic locutus fuero puero, ecce ſagittæ ultra te ſunt, vade in pace, quia dimiſit te Dominus.*

p c. 19. 12.
Symbolum imperii ſagittarius.
q Pier. l. 42.
a 1. Reg. 20. 22.

Amat Deus, quos ſagittat, abeſt ira, furorque Dei ab illo, cui ſagittæ ipſius infixæ ſunt, & vulneratus eſt, cum Auguſtino *b*, ſagitta divini amoris. Poſſumus has appellare cum Eliſæo *c* *ſagittas ſalutis Domini*, & contra hoſtes noſtros, & cum alio reſpondere *d*, ſagittarum multitudinem tantam, quæ ſolem obſcurare poſſe videantur, ſtrenuè certantibus eſse pro umbra, ut pugnare tutò, & cum victoria valeant. Magnam vim ſagittarum divinarum interiorum pulcherrimis verbis explicat de Job eodem loquens, de quo antè meminimus, Chryſoſt. *e*. Non me movent, inquit, illum loquentem inducens, exteriores ſagittæ interioribus vallatum: confirmant me magis intro Dei *ſagittæ potentis acutæ* *f*: de quibus dicebat David: quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. Tum aureæ flumen eloquentiæ ſciſcitando ſubdit. Quales ſagittæ? ſagittæ pietatis, ſagittæ juſtitiæ, ſagittæ deſiderii ad Deum, ſagittæ zeli, virtutis. His divinis ſagittis anima vulneratur. Similiter ludunt, qui de Laurentio ſcribunt: in vehementioribus flammis, quibus incenſum cor, externas non curabat, negligebat, non ſentiebat quodammodo, extinguebat. Sponſa amore languet, quòd LXX. reddunt vulneratam, τετρωμένη * amore, inquam, non turpis cupidinis, quem effingunt armatum telo infami *g*.

Amat Deus quos ſagittat.
b 9. Conf. c. 2. lib. 10. c. 6. lib. 11. c. 9.
c 4. Reg. 13. 17.
d Valer. lib. 3.
e Hom. 3. de pat. in Iob.
f Pſ. 119. 4.
* Cant. 2. 5.
g Prop. lib. 2. eleg. de amore.

Et meritò humanis manus eſt armata ſagittis,
Et pharetra ex humero Gnoſſia utroque ſonat.
Item *h* *Semper ardentes acuens ſagittas*
Cote cruenta.

h Hor. lib. 2. ode 8.

Qua eadem de re Theocritus *i*, Alexand. Aphrodiſ. *k*, Quintilianus *l*, Muſæus, *m*, Apulejus *n*, Leo Hebræus *o*, Sed ipſomet ſponſo, quem pater poſuit ſicut *ſagittam electam* *p*: ut qui, quod ait Origenes *q*, *Charitas* eſt *r*, dicat, & ipſe, quia vulneratæ charitatis ego ſum. Tali ſagitta ſaucios *ſ* idem vocat illos, qui exclamabant, *Nonne cor noſtrum ardens* *t* *erat in via?* Illud ipſum Origenis æmulator Ambroſius de vulnere, quod infigitur à Chriſto, velut à ſagitta, tradit, quum Salvatoris, inquit, noſtri prædicamus mortem, quod maximè etiam martyres facto exprimunt. Non eſt amor præſentis vitæ ſine vulnere, atque dolore, ut hoc loco docet Auguſtinus: quicquid enim amamus, & non habemus, neceſſe eſt, ut doleamus, & qui hoc vulnere non fuerit vulneratus, ad veram ſanitatem non poteſt pervenire.

i Idyll. 21.
k lib. 1. Prob. Probl. 87.
l in Controv.
m de Ero & Leandro.
n 4. Metam.
o Dialog. 1. de amor.
o Iſa. 49. 2.
p Hom. 3. in Cant. ex l. 4. Hom.
q 1. Ioa. 4. 16.
r Hom. 2. ex l. duar. homil.
Vulnus à Chriſto à ſagitta infigitur.
t Propert.
u Anacreon.

u Nec quiſquam ex illo (amoris honeſti) *vulnere tutus abit.*

& eſt *x*

x Cant. 4. 9.

Duriſſima res amare nec potiri.

Non ipſemet quidem ſponſus liber ab hoc vulnere qui viciſſim vulneratum fatetur à ſponſa cor ſuum *in uno oculorum* *y*, *& in uno crine colli* ſponſæ; quod LXX. dixerunt, ἐκαρδίωσας, ac ſi diceres, *excordare*, cor adimere, rapere, &c. nam concupiſcit ardenter ſponſus ſponſam, ut ei ſeipſum totum impertiat. Deus fortis eſt, ſed *fortis* quoque *ut mors dilectio, dura ſicut infernus, æmulatio* *z*, hoc eſt, acrior amor. Quo vulnere etiam amoris, nec Martem poetæ liberaverunt, ſed quidam cecinit:

y Cant. 8. 6.
z Lucret. lib. primo.

a ——æterno devictum vulnere amoris.

a verſ. 8.

Qui plura de ſagittis cognoſcere cupit ad mores accommodata, Gulielmum Pipinum legat, & quo pacto præſentem uſurpare ſententiam liceat primis parentibus, prolique omni, his qui tentationi ſuccumbunt, & conſcientiæ ſtimulis lancinantur, alienas obtrectationes, detractioneſque patientibus: tolerantibus adverſa, gementibus peccata: Verbum Dei audientibus cum fructu.

Confirmaſti ſuper me manum tuam.) Hieronymus, *tetigit me manus tua*. Chald. *manſit ſuper me vulnus manus tuæ*. Hebræum verbum eſt תנחת *tinchath*. Similes præcedenti נחתו *nichathu*, quamvis ab alia radice, ut dixi, Idem valet in Pſalm. LXXXVII. *b* *ſuper me confirmatus eſt furor tuus:* etſi verbum Hebræum aliud eſt סמכה *ſamach*, ſed Græcum ϛηρίζειν idem quod hìc. *Manus* pro *plaga* ſæpe ſumitur, quia hæc per illam infligitur: *Confirmatio* gravem impreſſionem denotat, ac oppreſſionem, quaſi graviſſimo impoſito onere, ut Cyrillus docet. Vulgo dicimus *caricar la mano*: quæ Pſalmo XXXI. *c* dicitur, *gravata manus*, & in Threnis *d*, *firmavit dexteram ſuam quaſi hoſtis*. Vult præterea Gregorius, & Beda frequentiam, & aſſiduitatem ſignificari miſeriarum. Ambroſius *manum Domini* in permittendo quoque adulterio, & homicidio fuiſſe dicit, ad eum modum quo *miſiſſe manum* dicitur Deus, ac tetigiſſe Job, quando permiſit vexandum diabolo, qui nitebatur blaſphemiam eidem perſuadere. Sic antè *ſagittas* pro libidinis aculeis ab eodem immiſſis ſumptas vidimus.

b Manus pro plaga.
c verſ. 4.
d cap. 2. 4.

Manus notiones ſeptem affert Innocentius, pro filio Dei, potentia, gratia, auxilio, protectione, operatione, vindicta. Exemplis ex ſcripturis confirmat, ex quibus poſſent aliæ præterea elici, quas uſus docebit. *Horrendum incidere in manus Dei viventis* *e*: hoc eſt, ut aptem propoſito meo, in manus Chriſti, quum jam non ampliùs mortis ipſius percipere licebit fructum, ſed vigebit ira Agni *f*, & columbæ *g*, ideſt, Chriſti, hoc præſenti tempore mitiſſimi, tunc autem ſeveriſſimi. Cajetanus *Dei manum* ſumi pro exercitu Abſalonis, quia inſtrumentum erat Dei ad puniendum Davidem. Habet acumen ſi dicas, *confirmatione manus* deſignari comprehenſionem vulneratæ veluti feræ, per quem actum poſſeſſio illius acquiritur, ita ut cedat dominio, non vulnerantis, ſed comprehendentis fugientem, ut Juriſconſulti, Theologique tradunt: hac autem ratione Davidem ſignificare ſe totum juris, ac dominii Dei eſſe, qui non vulneraverit dumtaxat ipſum, ſed manu quoque comprehenderit. Sic Petrus Vega in Hiſpanicis diſcurſibus ad hunc Pſalmum.

Manus notiones ſeptem.
e Heb. 10. 31.
f Apoc. 6. 16.
g Ier. 25. 38.

Per accomodationem præterea poſſet illud admitti, ut *confirmatio manus*, ſit veluti impreſſio illa colaphi quæ fit ab Epiſcopo ei, cui ſacramentum confirmationis confert, memoriæ cauſſa nam, & titulus Pſalmi eſt *in rememorationem*.

Verſ. 4.) Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.

TAnta verberantis manus DEI diritas, ac duritas eſt, ut nihil toto in corpore integrum ſit, nulla quies firmiſſimis corporis partibus, quæ ſunt oſſa. Cauſſa verò tantorum ſuppliciorum eſt ſanè juſtiſſima, æquiſſimaque, & cur graviora pertimeſcam adhuc, oſſibus ipſis pavore concuſſis. Videlicet intelligo ipſa mihi ſcelera mea hæc mihi omnia mala accerſiviſſe. *A planta pedis ad verticem uſque non eſt in me ſanitas* *h*: ſtupiditas mentis peccatricis excuſſa tormentis iſtis eſt, atque ad ſenſum mens reducta. Meritò iram, furoremque deprecor Deus tuum miteſcere: interitus carnis ſpiritum ſalvum fecit *i*, circumfero mortificationem Chriſti tui *k*, immò mei. Vel in corpore ipſo morbum graviorem intelligit ex ingenti mœrore propter peccata contractum; cujuſmodi forſan fuit poſt ingentem pavorem, viſo Angelo populum cædente: vel à Deo ipſo immiſſum, vel inflictas à ſemetipſo ſponte pœnas pro iiſdem peccatis, ut Euſebio placet, ac Baſilio, ſicut Pſalmo VI. *l*. David teſtatus eſt, atque in aliis *m*. Et Hieronymus hoc loco explicat, ſive alius, quòd nullam quietem indulſiſſe ſe dicat, vel oſſibus, vel membris, donec ea pœnitendo purgaret.

h Iſa. 1. 6. 58. 8.
i 1. Cor. 5. 5.
K 2. Cor. 4. 10.
l verſ. 7.
m Pſ. 34. 13. Pſ. 101. 6. 108. 24.

Secundùm allegoriam Chriſtus de ſe loqui dicitur, percuſſus, humiliatus, vulneratus à Deo *propter iniquitates noſtras* *n*: & de membris quoque myſticis, hoc eſt, de Eccleſia, cujus caro ſunt delicati, nobiles, aut etiam imbecilliores; oſſa, robuſti, potenteſque etiam ſpiritu: qui ſi priorum non labefactantur peccatis, contriſtantur, & conturbantur, ſeſe diſcruciant, ut ſe teſtatur feciſſe Daniel *o* Pauluſque *p*. Idem Paulus ſanitatem ſpiritualem intelligens, cui concupiſcentiæ fervor contrarius eſt, negabat ſub nomine *boni in carne* ſua *q* eſſe. Auguſtinus, quem Gregorius imitatur, & alii defectum ſanitatis interpretatur de morte, & aliis naturalibus defecti-

Allegoria.
n Iſa. 53. 5.
o cap. 9. 3. & ſeq.
p Cor. 11. 29.
q Rom. 7. 18.

ſectibus ex peccato ſequutis, & ſecundùm quos denominamur *natura filii iræ a*, hoc eſt, in eo etiam, quod alioqui nobis naturale eſt, pœnas peccatis dantes; naturam enim nobis factam eſſe, pœnam, & vindictam, ut quod erat primo hominis pœna, natura ſit nobis. Quamquam illius loci ſenſus quoque alius eſt, omnes naſci obſtrictos peccato. Caſſiodorus ait allegare Davidem Deo propriæ infirmitatem carnis, ut faciliùs impetret miſericordiam. Sic Deus certè non permanſurum ſpiritum ſuum in homine in æternum dixit, *quia caro eſt b*, hoc eſt, ut quidam explicant *c*, non judicaturum, damnaturumque cruciatibus æternis, quemadmodum Angelos malos, quia ſunt fragilioris naturæ, ſed pœnis præſentis temporis. Quamquam omiſſis aliis interpretationibus, voluit Deus eo loco ſignificare, nolle ſe ampliùs continere, ac differre ſupplicium, nec ſinere, ut coram ſe tam perdita natio, carnalibuſque immerſa vitiis, perſiſteret. Præterea videtur nonnullis *d* David hoc innuere, ſe, & ſenſu, quem caro deſignat, & ſpiritu, quem oſſa, ſollicitum, anxiumque eſſe propter cogitationem iræ divinæ, & ſupplicii, & propter contemplationem peccatorum, quæ in Inferno maximum tormentum erit. Origeni quoque placet carnis mortificationem indicari, quæ ex timore nata, ſit, carnem configente *e*. Poſitus initio litteralis eſt ſenſus.

Non eſt ſanitas in carne mea.) Vox מתום *methom perfectionem, & integritatem* ſignificat. *Carnis* acceptio multiplex, de qua Innocentius, ſed hujus loci eſt, quæ obvia, & propria, licèt per eam ſenſu myſtico denotari plura poſſint quæ indicavi. Talis figurata in Iſaia *f* locutio, *Attenuabitur gloria Jacob, & pinguedo carnis ejus marceſcet.*

A facie iræ tuæ.) Alii, *à vultu iræ, à facie indignationis.* Symmachus, & Aquila, *ἀπὸ προσώπου τῆς ἐμβριμήσεως σοῦ, à facie fremitus tui*, ideſt, *propter fremitum iram tuam*. Hoc ultimum bene declarat vim Hebrææ phraſis, ut obſervavit Euthymius, ac Nicephorus, dicentes idem eſſe de iis, quæ ſequuntur, *à facie peccatorum meorum, & facie inſipientiæ meæ g*; hoc eſt; propter peccata mea, propter inſipientiam meam. Exemplum ſuppetit plane ſimile in Oſea *h*: *ſic fecit vobis Bethel à facie malitiæ nequitiarum veſtrarum*, ideſt, propter malitiam veſtram nequiſſimam: vel, *à facie*, conjuncta cum aliis, eorum præſentiam ſignificant, ita ut, *à facie iræ*, ſit, propter præſentiam iræ: & *fugere à facie alicujus*, fugere à præſenti, aut etiam ab ira illius. Quo pacto David *à facie Saulis i*. Jonas *à facie Domini k*. Agar *l à facie Sarai* fugiſſe ſcribitur. Sed & *facies* perſonæ majeſtatem, atque auctoritatem valet, quæ etiam Græcè hic vocatur *τὸ πρόσωπον*, qua ratione dicitur *edictum egredi à facie regis m*. Supervacanea igitur Origenis annotatio, dici *à facie iræ*, & non abſolutè, ab ira, quòd fruſtra dictum eſſet ſuperiùs, *ne in ira tua corripias me*: & innuatur, quòd ſola facies iræ Dei, ideſt, conſideratio indignationis ipſius, ita terruerit, ut ampliùs locus eſſe in ipſo non debeat. Non fuit ſolus terror, ſed effectus iræ Dei expertus de David: & *à facie iræ*, ut dixi, nihil aliud importat, quàm *propter iram*. Nec judico litteralem ſenſum alioqui ſatis tutum, ut ſumendo *faciem* pro notitia, & cognitione, dicere David velit, quia ſibi futura ira Dei contra peccatores nota ſit, quantoque ſupplicio digna ſint ſua peccata, propterea ſummo afficiatur dolore, ac metu. De magnitudine iræ divinæ, quamque ſit formidabilis aliàs.

Non eſt pax oſſibus meis.) Chaldaicè באוברי *beevarai, in membris meis*, quamvis Nebienſis legat, בכרמי *benaddemai, in oſſibus meis*. Hebræum בעצמי *babhatſamai* ſignificat, *& in oſſibus, & in membris meis.* In Pſ. VI. *n*, & XXX. *o conturbata oſſa* idem denotant, quod, carentia pace, ſeu temperatura ſua, quibus locis, & in Pſalmo XXI. *p* ubi *diſperſa*, & in XXXI. *q*, ubi *inveterata* nominantur: quid myſticè ſint *oſſa*, dictum ſatis. Eodem quoque myſtico ſenſu diſtinguit Innocentius quatuor hominum, genera, duo malorum, totidem bonorum. Primos habere pacem cum peccato, cui conſentiunt, parentque: ſed non à peccato, cui conſentiunt, parentque: ſed non à peccato, quia ſummo conſcientiæ morſu, doloreque torquentur: Secundos habere pacem etiam à peccato, qui conſcientiæ morſum ob inveteratam peccandi conſuetudinem oppreſſerunt. Tertios, non habere pacem cum peccato, neque à peccato, quoniam fortiter peccato reſiſtunt, & moleſtiſſimis tentationibus pulſantur. Quartos, habere etiam pacem à peccato, quia longa virtutum exercitatione, aſſiduaque carnis mortificatione, nullas, aut paucas, & quidem leviſſimas tentationes experiuntur, utpote perfecti, quum penultimi adhuc incipiant, proficiantve. Porro *pacis* nomine videtur idem ſignificari quod priore ſanitatis, & integritatis: hæc namque vis eſt vocis Hebrææ שלום *ſchalom*, à שלם *ſchalam*; unde apud Malachiam *r*, *actum meum fuit cum eo vitæ & pacis*: Trita etiam Hebræis ſalutis, & *pacis* apprecatio pro re qualibet proſpera: ſic maximè declaravit quàm cuncta optaret felicia Nabali David *ſ*, *Salutabitis*, inquit, *eum ex nomine meo pacificè, & dicetis: Sit fratribus meis, & tibi pax, & domus tuæ pax, & omnibus quæcumque habes ſit pax.* Inde ſponſa cognominata eſt *Sulamitis t*, tamquam forma incolumitatis, & felicitatis integræ, ac perfectæ.

A facie peccatorum meorum.) Propter peccata mea, ut antè dixi, & diſertè Symmachus expreſſit, *διὰ τὰς ἁμαρτίας μου.* Quocirca nec horribilis nobis cum Origene fingenda peccatorum imago eſt, colorque teterrimus, qui ſolo aſpectu cum horrore roborem incutiat. Verè id poteſt concedi: Davidem id voluiſſe non puto verum: ſicut nec *pacem non eſſe oſſibus*: propter continuum Dæmoni indictum bellum. Auguſt. defendit Chriſti verba hæc eſſe, induentis perſonam noſtram, ad eum modum, quo in Pſalmo XXI. *verba delictorum* de Chriſto ſunt, cujus oratio illa, *Deus Deus meus, &c. longè à ſalute mea verba delictorum meorum.* Non ſolùm autem morbi, ceteræque ærumnæ, velut ex cauſſa prima, prodierunt ex originali peccato, verùm etiam ſæpenumero ſunt effecta pœnæque actualis cujuſdam peccati, ut aliàs oſtendimus.

Non eſſet difficile morborum corporis varias formas tropologicè ad animi ægritudines, & vitia transferre, & oſtendere quanta in corpore ex morbis humorum perturbatio, ac membrorum eſt: tantam etiam, ac majorem exiſtere in animi facultatibus, propter peccata. *Inſcientiæ bellum* libri ſapientiæ auctor *u*, nominat multo atrociùs inter legem mentis, & membrorum, carnem, & ſpiritum. *Pax impiis non eſt x*, quamlibet ipſi ſibi, & illis alii acclament. *Pax pax y*. Precantur in Epiſtolis Apoſtoli pacem poſt gratiam, quia ſine hac illa non eſt; & conſummata gratia in Jeruſalem communicatur, quæ eſt viſio pacis: nullum omnino ſcandalum diligentibus DEUM perfectè, ſed *pax multa z*, *exuperans omnem ſenſum a*, nullo pacto, ſuperata, ſed nec tentata, à ſenſu quem penitus tenet ſibi ſubjectum. *Pax peccatorum* peſſima, quam juſtus videns, zelat *b*. *Diis alienis* ſervient, ab iis requiem non habebunt *c*.

a Eph. 2. 3. b Gen. 6. 3. c Hieron. in quæſt. Heb. Albin. alii. d Turrian. 4. de dogm. charact. e Pſ. 118. 120. f cap. 17. 4. g verſ. 6. h cap. 10. 15. i 1. Reg. 21. 10. k Ion. 1. 10. l Gen. 16. 8. m Eph. 1. 19. Supervacanea Origenis annotatio. n verſ. 3. o verſ. 11. p verſ. 15. q verſ. 3. Quatuor hominum genera diſtincte. r cap. 2. 5. ſ 1. Sam. 25. 5. 2. Reg. 18. 28. t Cant. 6. 3. & 7. 1. u cap. 14. 22. x Jer. 9. 14. y ibid. z Pſ. 118. 165. a Phil. 4. 7. b Pſ. 72. 3. c Jer. 16. 13.

Verſ. 5.) Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum; & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.

PAcem perturbant peccata, numero, moleque tanta, ut inſtar exundantium aquarum, vel copioſæ arenæ, ſupergrediantur caput meum, meque ad ſummum verticem contegant, & obruant gravi ſuo illo pondere, ita ut ultra diſſimulare, & ferre non valeam, atque mens ipſa depreſſa inflectatur, quaſi nolens, ad imam appetitus partem, & ſubſit, ac ſubjecta ſit ratio peccatorum jugo atque tyrannidi, & eo modo immerſus, deſtituar veluti intelligendi vi, ſicut merſus aquis nec audit, ac videt, neque præ pondere ſupernatare poſſim: quæ duo maxima mala ſunt animi, ignorantia, & infirmitas. Agnoſco etiam ego gravitatem iniquitatum mearum, quamque gravi teneat pœnarum reatu *d*, ut non audeam, nec liceat mihi erecto incidere, ſed pronus terram ſpectem, & dejectus, *mihimetipſi factus gravis e*, & graviter, ac iniquo animo ferens peccaſſe; ſuſtinens ſuper me tamquam *talenti plumbi f*. Non poſſunt latere peccata mea, prodierunt acervatim tot, & tanta, ut ab omnibus agnoſcantur *g*. Argumentum pœnitentis quum ſunt oneri peccata. Talem vocat, & invitat Chriſtus, laborantem ſcilicet, & oneratum, imponens *jugum ſuave, & onus leve h*.

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum. Hieronymus, *tranſierunt*: & ad Algaſiam *i*, *elevatæ ſunt.* Pſalterium Romanum, Ambroſianum, & Paulinus *k*, & Caſſiodorus *ſuperpoſuerunt caput meum*, Ambroſius, *Super*

d Hier. Caſſiod. Innoc. Orig. Euthy. Didym. Cyr. Ambroſ. e Iob. 7. 20. f Zach. 5. 7. Baſil. & Theodoret. g Mat. 11. ult. h Ep. 151. 58 i Epiſt. 4. ad k Severum phraſes ſcripturæ.

perpoſuerunt ſuper caput meum. Auguſtinus, *Suſtulerunt caput meum Supergredi caput*, atque tranſire, & ſuperponere ſuper caput, eſt eminere, ac extare, vel quidpiam quod extet, ac emineat, imponere capiti. *Supponere, ac ſuſtollere caput*, è contrario, ſignificat efficere, ut emineat, extetque ipſum caput: quod proprium eſt ſuperbi: ut nimirum caput erigat adverſus Deum: quo pacto exponit Auguſtinus, vel ſibi plus vendicet, quàm ratio, juſtitiaque patiatur: quo modo Caſſiodorus. Ambroſius explicat *ſuperponere ſuper caput*, eſſe idem quod ſupertranſire, & ſuperminere, ut deprimant iniquitates ſenſus mentis, ut non ſubdatur quis capiti ſuo, qui eſt Chriſtus *a*, faciantque, ut ipſis peccator ſubjiciat proprium caput. Origenes, quòd ita iniquitates excreſcant, ut ultra capitis peccatoris vadant proceritatem, ipſe decreſcat, ac in nihilum redigatur. Eodem fere modo Gregorius ait, tunc peccatum *ſupergredi caput*, ideſt, mentem, & rationem, quando huic dominatur: quoniam *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati b* (quo pacto Cynicus Alexandrum, & alii *ſervum* nominare non dubitabant, quòd ſerviret vitiis) & quum in ſola carne jacet, *carne*, ſervimus peccato; *mente* autem, *legi Dei c*.

Aliqui putant ductam à victoribus ſimilitudinem, qui eorum quos vicerunt, ſolent pedibus capita calcare, ut alias meminimus, innuiturque verbis illis, *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra d*. Apud Jeremiam *e* eſt. *Vigilavit jugum iniquitatum mearum: in manu ejus convolutæ ſunt, & impoſitæ collo meo, infirmata eſt virtus mea*, ut ſcilicet illud jugum, & onus nequeam portare. Poſſemus in aliis translationibus iſtius loci ſupplere pronomen (*ſe*) *ſuperpoſuerunt*, aut *ſuſtulerunt ſe ſuper caput meum*.

Paulinus *f*, allegoriam tractans capillitii Samſonis, cautè admodum, *iniquitates ſuper capita*, docet eſſe veluti comas, funeſque circumplexos *g*, & tales crines, crimina eſſe, cujuſmodi Abſalonis prægravis cæſaries fuerit *h*: quia peccatis anima, & implicatur, & premitur: cui autem Chriſtus coma eſt, levem, ac volucrem exultare, jugum enim, & comam Chriſti, levem eſſe *i*, quia ſervientes Chriſto operamur bona, quibus pennati in alta provehimur; capillos illos ad ornamentum valere, vireſque, & omnes à Deo numerari, ac æſtimari *k*, qui ſunt capitis, quod eſt Chriſtus tamquam *aurum optimum l*. Adjice Magdalenam capillis capitis pedes Chriſti terſiſſe *m*, ut qui gravabant priùs caput illius, capiti ſuppoſiti Chriſti, leves redderentur, atque ſanctificarentur. Inde factum, ut labia Chriſti, quibus pronuntiavit ſententiam remiſſionis *n*, eſſent ſicut lilia candidiſſima *o*, propter candorem ſanctitatis ei reſtitutum; hujus tamquam *vitta coccinea p*, & ut *peccatis coccineis q* depoſitis, ac liberata *de ſanguinibus r*, ut nix immò *ſuper nivem* dealbata *ſ* deinceps relegaret, atque etiam præſcinderet occaſiones peccandi. Pollicetur Micheas *t* fores, ut miſereatur noſtri, & deponat Meſſias iniquitates noſtras, ubi Hebræum verbum יכבש *iichbos* ſignificat *ſubjicere*, ſubjugare, auferre vi, ac violentia, opprimere, ut Geneſis cap. 1. *Replete terram, & ſubjicite eam*, & alii ſæpè; Indicat, iniquitates nobis tamquam dominas imperaſſe, capitibuſque impoſitas fuiſſe Hebræi, quique delectantur eorum doctrina, hoc loco *iniquitates* de calamitatibus inflictis Davidi, ob iniquitates, & peccata ipſius, intelligunt: poteſt id facilè concedi: & Apollinarius exponit *δυσφροσύνας*, *angores*,

Δυσφροσύναι κεφαλῆς ὕπερθεν ἐμεῦ βεβάασι χαρήνος,
Angores ſuper meum aſcenderunt caput.

Sed circa multitudinem peccatorum, cave Calvinum *u*, & Melanchthonem *x*, hinc argumentantes, ut ex Pſal XVIII. *y Delicta quis intelligit*, contra confeſſionem ſacramentalem, non poſſe peccatorum ſupputationem cogitare, quum videamus Davidem ſuorum numerum inire non poſſe. Quod Pſalmo XVIII. jam reſpondimus, hic quoque reſpondemus, non exigi omnium omnino peccatorum enumerationem exactam, ſed quæ poſt diligentem examinationem occurrerint memoriæ, utque peccata omnia, quantum in nobis eſt, quod ipſemet Calvinus de confeſſione quæ Deo fiat, aſſerit, percenſeamus, aperientes totam ſacerdoti conſcientiam noſtram, de intrantibus *uſque in animam* aquis, Pſalmo LXVIII. *z*, & inundantibus *ſuper caput a*, & de ingreſſu hominis in aquas uſque ad talos, poſtea ad umbilicum, nares, & oculos, frontem, ſuper caput: vel *ad talos genua, renes*, &c.* Tropologiam elegantem lege Philippi Grevæi *b*.

a 1. Cor 11. 3 b Ioan. 8. 34. c Rom. 7. 25 d Pſ. 65. 12. e Thren. 1. 14 f Epiſt. 4. g Pſ. 118. 61. h 2. Reg. 1. 14. 26. i Mat. 11. 30. k Luc. 12. 7. l Cant 5. 11. m Luc. 7. 48 n ibid. 47. o Cant 5. 13 p cap 4. 3. q Iſa. 1. 18. r Pſ. 50. 15. ſ verſ. 9. t cap. 7. 19. verſ. 28. u 3. Inſt. c. 4. parag 16. x in Confeſſ. Auguſt. Argumentatio hoc loco cavenda. y verſ. 22. z verſ. 2. a Thren. 3. 54 * Ezec. 47. 3. b Serm 81.

Sicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.) Auguſtinus, *ſicut faſcis gravis*: Caſſiodorus, *ſupra me*. Non ſignificat *ſuper me*, ſitum propoſitionemve altam, ſed victoriam, ut onus vincat, ac ſuperet ferentis vires, ſitque ſupra illas: id enim valet ממני *mimmenni*, vertunt alii: *ſicut onus grave, graviores fuerunt me.* Explicat Auguſtinus, ſicut ſuſtulerunt iniquitates caput meum, & per ſuperbiam erectus ſum contra Deum; ſic ab ipſis peccatis meis juſta vindicta Dei depreſſus ſum infra me. *Populum gravem* vidimus Pſal. XXXIV. *c*, pro *multo aggravata* quoque *manus ſuper aliquos d* denotat gravitatem ſupplicii: *aggravatum peccatum e*, id quod eſt magnum: & pondus deponendum, peccatum eſt *f*, onera invicem portanda, quæ *g* peccantur in conſortio humano: *portato judicii h*, *& iræ*, pœnæ perpeſſio, irrogata judiciali ſententia: *faſciculi deprimentes i*, peccata etiam ſingula, quæ niſi per pœnitentiam citiùs deleantur, ut ait Gregorius, mox ſuo pondere ad alia trahunt. Chriſtus *peccata mundi tuliſſe, & iniquitates portaſſe* dicitur *k*, debitas pro illis pœnas luendo: Denique quicquid moleſtum eſt, ac toleratu, & perpeſſu difficile, pondus, onus, ſarcina, & ſi quod aliud ejuſmodi nomen eſt, vulgari omnium linguarum ſermone appellatur. Præter id quod antea dixi de iniquitate cum *plumbi* comparata *talento*: huc facit Pharaonis ingravatum cor, qui proptera cum ſuis *deſcendit in profundum ſicut lapis l*, ut obſervat Theodoretus *m*, Hieronymus *n*. Notat hic præterea, currere *o* non poſſe, & curſum conſumare, cum *Paulo p*, qui peccatorum vinctus eſt compedibus ferreis, & gravibus plumbi nexibus prægravatur. Item, Petrum *q*, ait, qui antè levis pendulo greſſu calcabat undas, poſtquam infidelitate aggravatus eſt, voratum à fluctibus: & omnem qui gravia diligat, ut aurum, argentum, &c. tanto magis aggravari. Hic eſt *gravis corde, diligens vanitatem, quærens mendacium*, de quo dictum Pſalm. IV. *r*. Nefas eſt populo DEI, cui ſabbatiſmus relictus eſt, ſabbato in via onera portare, hoc eſt, per vitam totam, in qua feriandum ſemper à peccatis, quæ onera ſunt, ut Origenes docet, *ſ*, & B. Thomas *t*, ſic exponentes Jeremiam *u*.

Chryſoſtomus, differens de Jona *x* hanc periculi navis vocant ſarcinam, quæ magis magiſque illam, non corporis magnitudine gravaret, ſed peccati; nihil enim grave æque, & oneroſum inveniri, quàm peccatum. Adducit in probationem cum noſtro iſto loco *talentum plumbi* Zachariæ *y*, atque exhortationem Chriſti ad laborantes, & oneratos, ut aliud ſubeant *ſuave jugum, & onus leve z*: ſint aliquo onere, ac pondere vivi non poteſt, quia pondus noſtrum amor, illo ferimur, quocumque ferimur, ut ait Auguſtinus *a*. Refert, cui humeros ponderi ſupponamus: tibi ipſi gravis, expoſtula cum Deo ipſo, *cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam b?* Qui ſponte peccatorum gravitatem non perpendit, & cogitans *vias ſuas* non *convertit pedes* ſuos *c* ad pœnitentiam, ipſi Deus *non parcet*, & non miſerebitur, ſed *vias* illius *ponet ſuper* eum, & *abominationes* contra eum, & imponet illi *omnia ſcelera* ipſius *d*.

Prophetæ minas illas, quas nomine Dei denuntiabant, vocabant *onera*, ut Babylonis, Ægypti, Ninives, &c. In Deum jactanda onera iſta, cura, ſollicitudo, cogitatus, qui gravat, ut præcipitur Pſalm. LIV. *e*. (ubi pro *cura* Hebraicè eſt *pondus*, juxta quorumdam opinionem: etſi alii vel *amorem* vel *ſpem* vertant,) & in priori Petri Epiſtola *f*. Quod non facit homo, fecit pater: tranſtulit peccata in filium *g*, ponens ſuper eum iniquitates ipſius *h*, quarum pondere depreſſus, dicenſque, *Ego feram, ego portabo*, & projiciens poſt tergum ſuum *i*, *ſupra quod*, ſive *ſupra dorſum fabricaverunt peccatores k*, caput inclinando in cruce emiſit ſpiritum *l*. Demerſus, aquarum non ſentit gravitatem; extra aquas poſitus, ægrè portat aqua plenum vaſculam; ad eum-

c verſ. 18. d 1. Reg. 5. 6. e Gen. 18. 20 Exod. 34. 7. f Heb. 12. 1. g Gal. 6. 2. h Gal. 5. 10. Iſ. 5. 8. 6. k Iſa 53. 11 l Exod. 15. 5. m ibid. n in c. 22. Ez. & in c. 2. Nahum. o in c. 11 Eccleſiaſt. p 2. Tim. 4 7 q in c. 2. Nahum. r verſ. 3. ſ Hom. 23. in Numer. t in c. 5. Ioan. lect. 2. u cap. 17. 21. x hom. de Ion. Nihil grave æque & oneroſum quam peccatum. y cap. 5. 7. z Mat. 11. 30 a Confeſſ. b Iob. 7. 21. c Pſ. 118. 59. d Ez. 7. 3. 3. 8 e verſ. 23. f cap. 5. 7. g 2. Reg. 12. 13. h Iſa. 46. 4. i Iſa. 38 17. k Pſ. 128. 3. l Mat. 27. 50

cumdem modum *quum in profundum peccator venerit, contemnit;* reſipiſcens, vel jam juſtus: nec nomen ferre peccati, primumve illius inſtinctum valet. Intelligit juſtus, aut pœnitens, peccatum, quod *grave* dicitur, id eſt, mortale, gravari ſuper hominem, & vires humanas, quia excuti, ac deponi humanis, creatiſque viribus nequit. Recte appellaveris ejuſmodi peccatum Siſyphium ſaxum, quod Siſyphus magno movebat niſu, & contentione, per arduum montem ſurſum; denuo autem, quum jam prope verticem promoviſſet, iſque inde magno deorſum impetu rueret, laborem eumdem integrabat. Cuivis quidem ſed maximè cupiditatis habendi, & libidinis peccato quadrat fictum tormentum: quique ſic peccato, meritò cenſetur aggravare contra ſe denſum lutum *a*.

a Habac. 2. 6.

Multis modis exaggeratum Davidis grave peccatum fuit, quia non ex ignorantia ſolùm, vel infirmitate ſed ſimul ex malitia, meditatoque conſilio contra Uriam, planè innocentem, ſervum fideliſſimum, fortiſſimum militem, cujus, violata uxore, vitam ademit: quia peſſimo exemplo iſto blaſphemare fecit nomen Domini: quia tot muneribus externis, internis, animi, corporis, naturalibus, ſupernaturalibus, gratiæ ſanctificantis, gratiæ, ut prophetiæ, divinitus cumulatus, peccata tamen admittere adeo gravia, per ſummam ingratitudinem non dubitavit. Gravitas deinde conſecuta poſt peccatum vel in reatu æternæ pœnæ, vel in externis temporalibus pœnis, vel in diſcruciatione ſtimulantis, mordentiſque conſcientiæ, ſatis æſtimari, expendique non poteſt. Iſaiæ *b* ad verba exhorreſce, *Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra ſicut ebrius, & auferetur quaſi tabernaculum unius noctis, & gravabit eam iniquitas ſua, & corruet, & non adjiciet, ut reſurgat*. Subdit poſtea *c*, congregandos improbos congregatione unius faſcis: quem *faſcem* hoc loco Auguſtinus *oneris* legit loco. Poſt juſtificationem, & exonerationem ab onere peccatorum, oneramur onere gravi gratitudinis, propter magnitudinem beneficii. Onerat nos, ait Bernardus *d*, quum exonerat Deus, onerat beneficio, quum exonerat peccato. Vox onerati *quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Vox onerati, *Exi à me, quia homo peccator ſum Domine e*. Vox onerati. *Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum f*. Semper, inquit, timui, ſicut ante ſic poſt acceptam indulgentiam peccatorum. Beatus homo, qui ita ſemper eſt pavidus, nec minori angitur ſollicitudine, ne forte obruatur beneficiis, quàm peccatis. Hæc ex Bernardo. Curatus Paralyticus tollere grabatum, jubetur *g*, in quo jacens quieſcebat, priuſquam curaretur, ut quod prius delectando ferebat, angat poſtea, ut onus grave bajulanda, tollendaque crux diſcipulo Chriſti *h*, gravis licet iram Domini portare debet *i* ſibi conſcius peccaſſe, & peccata bene ſperans condonata. Cavendum eſt, ne peccatis addendo peccata, faſcem efficiamus adportandum difficiliorem: quod Arſenio anacoretæ angelus tali exemplo reſpondit. Gravitas peccato quibus de cauſſis conveniat, Pepinus belle demonſtrat poſt Petrum de Palude, quia ad ima inclinat, fatigat, retardat, præcipitat, ita, ut nec veniales, in cœlo locum habere poſſit,

b 7. 24. 19. 20
c verſ. 21.
d Ser. 15. in Pſal. 90. Onerat nos quum exonerat Deus.
e Pſ. 115. 12
f Luc. 5. 8.
g Iob. 31. 23.
h Ioan. 5. 9.
i Mat. 16. 24

Verſ. 6.) Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.

CAlamitatum acerbitatem amplificat, ſumpta ſimilitudine ab iis, quorum per totum corpus ulcera ſanie, ac tabo diffluunt, ita ut ſint etiam aliis horrori, & abominationi, propter fœdum aſpectum, odorem tetrum, & contagium: cauſſam vero transfert in inſipientiam, quam peccando admiſerit, in ſtultitiam, impudentiam, ſtupiditatem animi, ut non ante peccata caveret, commiſſis non citius mederetur. Vel ipſa met peccatorum vulnera intelligit, quæ non ſatis tempeſtivè, ac omnino perfectè curata cicatrices reliquerint, ſive reatum adhuc temporalium pœnarum, ob quem veluti eruperint in corruptionem earum, quas ſuſtinebant, ſive pravos habitus, qui ſubinde priorum peccatorum memoriam, atque cupiditatem renovent, ac ſuggerant. Origenes interpretatur, pœnitentem dicere, quæcumque imprudenter egerit, & inconſideratè, putruiſſe ſibi, ac fœtuiſſe, quum nimis diu diſſimularet, curamque differret in poſterum, ac amplius renovare nolle, perſpexiſſe tandem ſe dum peccaret, nihil ab impuris, fœtidiſque beſtiis, quales porci, diſtaſſe. Vix eſt qui diſſentiat de Græcis, & Latinis.

Gregorius, renovatum *k* poſt juſtificationem peccatum, ut ſint *poſteriora pejora prioribus l*, explicat; ut ſi caro ſanata, & objecta cicatrice iterum vulneretur, cicatrice aperta putreſcat. Hebræi comminiſcuntur, Davidem totum ulceroſum, ac ſanioſum, & abominabilem, poſtquam peccavit effectum. Lyranus vult innui peccatum numerationis populi, quo patrato redierit quodammodo præcedens remiſſum adulterii, & homicidii; nempe ob ingratitudinem. Turianus *m* noſter Theodoretum citans, apud quem id ego tamen non reperio, contendit ſignificari verbis iſtis vindictam, quam de ſe peccator ſumat, ſatisfaciendi gratia, & ut quemadmodum vibices relinquuntur ex plagis ad puniendum, vindicandumque diutius, ſic pœnitens recordetur peccatum ad affligendum ſe, & capiendum dolorem, atque ad deteſtandum ea, horrendum, indignandum; ſicut fœtida, & putrida ſtomachum movere ſolent, efficereque, ut ea ſtudioſius fugiamus. Denique verba illa, *à facie inſipientiæ meæ*, eſſe indignantis adverſus peccata imprudentiam, & ſtultitiam accuſando. Chryſoſtomus, allegoriam perſequens de Chriſto, inſipientiam de Judæ proditione explicat: ea fœtidius nihil eſſe potuiſſe: corruptas cicatrices, quando ſe laqueo præfocavit, tunc enim de ejus ſalute conclamatum, ut quæ emarcuere vulnera à medicis deſperantur.

k Mich. 7. 9
l Mic. & 9 Moral. c. 31
m Matt. 12 45.

Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ.) Hieronymus, *putruerunt, & tabuerunt cicatrices meæ*. Pſalterium Ambroſianum, & Auguſtinus, *computruerunt & putruerunt livores mei*. Pſalterium Romanum, Caſſiodorus, Gregorius, non hic, ſed *n* alibi, Innocentius: & Fulgentius *o*, *computruerunt, & deterioraverunt cicatrices meæ*. Ambroſius, *corruptæ ſunt, & computruerunt cicatrices meæ*. Græcum προσώζεσαν, verti poſſet, *fœtuerunt*. Malus odor excitatus denuo in re quapiam per exhalationem, corruptionis index eſt, ac putrefactionis, quæ ad corruptionem tendit. Significat quoque באש *baaſch*, unde הבאישו *hiviſu* in hiphil, hoc loco fœtere, & putreſcere: at vero מקק *makak*, ex quo נמקו *namakku*, in niphal, *liqueſcere*, diſſolvi, tabeſcere, necnon per metalepſin, *fœtere*: quia quæ corrumpuntur, & tabeſcunt, denique fœtida evadunt. Pro cicatricibus Græcè μώλωπες Hebraicè חבורות *chabburoth*. Hebræum nomen à themate חבר *chavar*, quod eſt, *colligere, & congregare*, ſignificat *aggregatum ex plaga, concretumque ſanguinem*, aut, *pus cum tumore*, ac tubure, qui dicitur livor, vomica, vibex, cicatrix, verberis in cute veſtigium, cutis ex verberis incuſſione ſugillata. Eadem vis vocabuli Græci, ut nempe denotet τοπὸν αἱματῶδη ἐκ τῆς πληγῆς, *locum ſanguinolentum ex plaga*.

n 4. De dogm Charact
o 5. Mor. 5. vel. 39.

Habeat aliquis ſanum olfactum animæ, ſentit quomodo puteant peccata, ut ait Auguſtinus, cui putori contrarius eſt odor bonus Chriſti, quo fragrant juſti *p*, *currentes in odorem* longè ſuaviorem beatorum *unguentorum*; *q* quorum comparatione cunctæ res hic fœtent, ac putent, vixque juſtus reperiatur non infectus odore tetro, vel proprio fomitis paſſionum, ærumnarum, vel alieno. Legi etiam offlatos nonnullos divinitus malo, vel angelos, qui præ ſe id ferrent vidiſſe, quum adeſſent luxurioſi, quantiſcumque odoratis rebus onuſti; bono odore, quum honeſti, & caſti, etſi nullum odorem ipſi externum geſtarent. Molliùs, delicatiùſque nutrita corpora, graviùs olent mortua, ut inſigni Petrus Damianus *r* docet exemplo Sophiæ Marchioniſſæ, ut ſi vera comminatio Iſaiæ *ſ*, *& erit pro ſuave odore fœtor* ubi Hieronymus prolato Pſalmi noſtri teſtimonii peccata fœtere probat. Lazaro pauperi ſua minime ulcera *t*, nec Jobo *u* fœtebant, hoc eſt, non diſplicebant, Deo autem, & beatis gratum odorem exhibeant, nobis optimi exempli. Non poteſt omitti, quod hic ſcribit Ambroſius, poſt factam de utroque mentionem. Specta nunc Epheborum aliquem laſcivum, & egregiè libidinoſum, qui in ſtupris vitam ſuam exigat, more illius divitis in

p Ep. 4. c. 1. Cor. 1. 3. q. 2.
q Cant. 1. 3.
Mollius delicatiuſque nutrita corpora gravius olent mortua.
r Ep. ad Blan. c. 30.
ſ c. 3. 24.
t Luc. 16. 20
u Iob. 1. 7.

byſſo, & oſtro jacentem, atque epulantem quotidie ſplendidè, cui natent pavimenta vino, tegatur humus floribus, & ſpinis cooperta piſcium, incenſis diverſorum thymiamatum odoribus triclinia compleantur, quemadmodum ſe beatum putet, & bene ſe olere judicet: quumque gravia, atque diuturna animæ ſuæ vulnera gerat, & corruptum ſanguinem emittat, nullum tamen fœtorem ſuæ cicatricis accipiat: obſtructas enim cœno nares habet, nec poteſt dicere ſpiritus divinus *a* qui eſt *in naribus meis*. *Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo b*, quum peccatores in ſuo cœno voluntati commoriuntur, *qui veſcebantur voluptuosè, & nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora c*. Adulterium, & homicidium David à ſe patrata voluit indicare, tamquam ſanguines putidos, & corruptos, à quibus liberari ſe vehementius flagitavit *d*, non ferens peſtilentem eorum odorem, nec ſeſe offerre ſacrificium Deo prius audens, quàm eſſet liberatus, ut ſic odoraretur illud Deus *in odorem ſuavitatis e*, aut juxta lectionem aliam, quietis quaſi corruptio præcedens: moviſſet enim ſtomachum ſacrificium, præſens, vomitum compeſcuiſſet, nauſeamque inhibuiſſet. Attingit hoc in Joannem Chryſoſt. *f*.

a Job 27. 3.
b Joel. 1. 17.
c Thren. 4. 5
d Pſ. 50. 16.
e Gen. 8. 21.
f Hom. 72.

Innuitur quoque, hac formula peſtilens exemplum, quo tantus rex alios infecerat, atque blaſphemare nomen Dei fecerat. Canis quum licet ei allambere vulnera ſua curatur facilius; in capite lethalia ſunt: Ad eumdem modum, inferiorem mederi vulneribus lambendo prædicatoris, & paſtoris lingua valet: quum putreſcit ipſe, & corrumpitur, difficilius remedium. Marcus Eremita *g* ſumit hunc locum de avaro, deque divite, cujus Jacobus *h* putrefactas divitias vocat. Niſi, & ipſemet adhibeas, & admittas novaculas, atque cauteria, ut excidantur, & exurantur vulnera, incluſa ſanies gliſcet, ſerpetque latiùs, ac multo graviùs erumpet, vel inflammata te perimet. Quatriduanus fœtebat Lazarus *i*, typus peccatoris, non ille mendicus ulceroſus, ſed alter mortuus. Cadaver diaboli putridum vocat Hieronymus *k*, ob magnitudinem peccatorum, deque illo Iſaiam *l*, ſcribere, quod ſit projectus de ſepulchro ſuo, ſicut ſanie pollutus; è contrario virtutem bonis odoris eſſe: Idem traditur à Procopio *m*, ideoque ſpiritualium fratrum dilectionem comparari unguento, quod *deſcendit ſuper barbam, barbam Aaron, & ſuper oram veſtimenti ejus n*, & ad ſponſam ſponſum loqui. Odor tuus ſuavis. Dicit præterea *o*, per gratiam Dei, & juxta divinum, promiſſum *p* pro ſaliuncula aſcendere poſſe abietem, quæ eſt herba viliſſima, amara, odoris peſſimi, ut ſcilicet meretrices, & Publicani præveniant Phariſæos in regno Dei, & latro de cruce tranſeat in paradiſum: Matthæus, Zachæus, Paulus, mutentur in Apoſtolo., quum prius computruiſſent, & corruptæ eſſent cicatrices eorum. Adhæc docet *q* ſale divini verbi ſiccari humorem, ac putorem noxium, ne fluxa ſit caro, ne ſtulta, & inſulſa mens.

g tract. de pœnitent.
h c. 5. 2.
i Ioan. 11. 39
k in c. 14. Iſ.
l c. 14. 10.
m in cap. 27. Gen.
n Pſ. 132. 2.
o in c. 55. Iſ.
p Iſ. 55. 13.
q Ezech. c. 16

Sed Hugonis Victorini *r* exacta diſtinctio, ut intelligamus quis ſit cujus potuerint, corruptæque ſint cicatrices: ait, quoſdam numquam vulneratos, vel corruptos, actuali nimirum gravi peccato: quos vocat ſanos alios, qui poſt vulnera ſunt perfectè ſanati, abſque affectu peccati, & ſine reatu ejuſdem, ita ut nihil ſint ſibi *ſ* conſcii, & illis obducta ſit cicatrix perfecta *t*: tertios, pœnitentes deſerentes peccatum, ſed à reatu nondum plene purgatos per ſatisfactionem, & in quibus quaſi quædam ſigna vulnerum permanſerint: ultimos, ægros, & peccantes, in quibus ipſa adhuc vulnera hiantia ſunt, & necdum obduci cœperunt, ſed peccati deſiderio tenentur. Subdit, eum qui huic loquitur, pœnitere quidem jam cœpiſſe, & peccatum jam voluntate deſeruiſſe; ſed reatum in eo peccati nondum planè ſanatum, & priuſquam perveniſſet ad integram ſanitatem vulneris, corruptum eſſe per iterationem iniquitatis: putruiſſe cicatrices, quum prava deſideria ad mentem redierunt, corruptas eſſe ex abundanti ſanie, quum uſque ad operationem perventum eſt. Tranſcripſit hæc tacito nomine Bonaventura. De vulneribus, & cicatricibus originalis peccati, deque putrefactione, atque corruptione naturali ex conjunctione carnis, quum anima, non eſt nunc ſermo. Diceres conjunctionem iſtam illi ſimilem de qua Poeta *u*.

r Annot. 12. Pſ. c. 46.
ſ 1. Cor. 14. 4
t Ier. 8. 22.
u Virg. Æneid. 8.

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibuſque manus, atque oribus ora,
(Tormenti genus) & ſanie tabeque fluentes
Complexu in miſero longa ſic morte necabat.

Non incommode de hoc verò quis diſputaverit de vitando relapſu in peccatum, nec animæ plagæ prius curatæ ſævius recrudeſcant. Non vacat, plura dicere. Doceant nos in Græcia edocti equi, ut memorat Ambroſius *x*, quum ceciderint, conſiſtere, ne ſeſe commovendo recidant periculoſius. Pudeat exemplo viperæ poſt coitum cum muræna venenum reſorbere *y*: non decet lotos pedes inquinare, tunicam qua te expoliaveris denuo induere *z*. *Vilis fit nimis iterans vias ſuas a*: poſtremo vulnus refricare, periculoſum. *Improbe*, ait ille *b Neptunum accuſat, qui iterum naufragium fecit*, & Horatius *c*.

Grecorum æqui.
x Serm. de cognit. ſui
Viperæ quũ muræna coitus.
y Plin. l. 9. c. 23.
Ælian. 12. de anim. c. 6. & 21.
z Cant. 5. 3.
z Ier. 2. 36.
a Publ. Mimus.
b De art.
c l. 4. c. 11.

Ridetur chorda qui ſæpe oberrat eadem.

Lege confeſſiones Auguſtini *d*. Quod attinet ad cicatrices ſpirituales, & vulnera (omne enim peccatum in vulnus, & livorem animæ, quod de ſe Lamech dicebat *e*, redundat) quærit, quæriturque Jeremias *f* non obduci, quamvis nec reſina deſit, (theriacam Burgenſis exponit contra peccati venenum) nec medicus, quia neque hunc audire, nec Medicinam ægri recipere volunt. Parendum ſapientiſſimo, optimoque medico, pollicenti obducturum ſe illas, & à vulneribus ſanaturum *g*, & vinum, ac oleum in curam exhibiturum *h*, ſive cicatrices intelligas quælibet peccata, ſive quæ latent in corde, ſive hypocriſim, ſive quas vocant pœnalitates cum fomite. Putrefactionis, & corruptionis naturales cauſſæ moribus accomodari poſſunt, humoris exceſſus aut caloris, tumor, aut inflatio: receſſus virtutis, ut animæ à corpore: defectus ſalis, vel motus: quæ ſecundum tropologiam à Pepino tracta ſunt, copia facultatum, ardor concupiſcentiæ, tumor, ac inflatio ſuperbiæ, privatio gratiæ divinæ, negligentia patientiæ, & prudentiæ cæleſtis, ocium, & deſidia. Denique *corrupti facti ſunt* peccatores, & *abominabiles in ſtudiis ſuis*, iniquitatibuſque, ut Pſalm. XIII, *i* vidimus. Si ſe ipſi abominentur, & corruptionem, ac fœtorem ſentiant, nec, ut Idola mortua, nares habentes, odoratus *k* vi ſpirituali careant, bene de illis ſperandum. Hoc vult Deus quum *aſcendere* facit *putredinem ad nares* eorum, ut Amos *l* interpretatur myſticè Hieronymus, quumque implet illos ſanitate propria, & irrigat fœtore ſanguinis eorum, ut Ezechielem *m* ſenſu ſimili declarat Hugo Cardinalis. Impinguant vineam ſtercora *n*: jacet exemplar totius patientiæ Job in ſterquilinio *o*, teſta ſaniem tradens: lumbaris putrefacti conſideratio confert plurimum, quod nulli uſui aptum eſt *p*, quid enim valet, cujus, ut paullo poſt dicitur, lumbi pleni ſunt illuſionibus quique corruit *q* carnem ſuam, & luxuriæ deditus, quæ præcipuam in lumbis *r* habet ſedem? Deus tamen ipſe apud Jeremiam interpretatur de putrefactione ſuperbiæ populi ſui, ut eum nempe reddat ingloriam, quem agglutinaverat ſibi, ut adhærere ad lumbos ſolet lumbare. Bonas Ambroſius triumphalium vulnerum vocat cicatrices, quum ſoleant victores hujus terreni prælii ſuis gloriari: vulnera illuſtria, quæ pro fide, & nominis Dei gloria ſunt excepta: iſta cicatrice cælum aperiri, regnum acquiri, immortalitatem inveniri, beatos qui laverunt *ſtolas ſuas in ſanguine agni*, & qui nempe *ſtigmata Domini*, ſui portant in corpore ſuo. Jam poſt remiſſionem peccatorum, *leva oculos tuos ad Deum*, ait Auguſtinus *ſ*, putruerat enim cor tuum in terra: non gratis audis, ſurſum cor; ne putreat: ſunt adeo quidam improbi, ut quum repleant *terram iniquitate*, & ipſummet Deum irritent, *applicent ramum ad nares ſuas t*; quaſi velint fœtorem ſuum non ſentire.

d Gen. 4. 23.
e c. 8. 22.
f Ier. 30. 17. & 33. 6.
g Luc 10. 34
h verſ. 1.
i Pſ. 113. 6.
k Pſ. 4. 10.
l cap. 32. 5.
m Luc. 13. 8
n Iob. 2. 8.
o Ier. 15. 7.
p Gen. 6. 12.
q Iob. 40. 11.
r in Pſ. 31. & 148.
ſ Eſther. 8. 17.
t Sic Tur. 4 de dogm. charact.

A facie inſipientiæ meæ.) Propter inſipientiam, ut pridem notavimus; ſicut *à facie iræ à facie peccatorum*, propter iram, & peccata, itaque non ſignificat *facies* hoc loco, & Græca vox πρόσωπον, ἔνδειξιν καὶ ἐμφάνειαν, *demonſtrationem, & oſtenſionem*, ut indignetur David, ſeque accuſet, quod in peccando declaraverit, & manifeſtaverit imprudentiam, & ſtultitiam ſuam: nec, *à facie inſipientiæ* idem hic eſt quod à præſentia, inſtantia, importunitate, occurſu frequenti, quaſi dicere velit, quod niſi prius inſipientia ſua importuna fuiſſet Deo habitanti in ipſo, nequaquam ipſum Dei

gra-

a Sic Hugo Victor. annot. in Pſal. 46.

gratia uſque ad lapſum peccati deſerviſſet a. Simpliciter cauſſam putrefactionem corruptioniſque cicatricum, aſſerit inſipientiam ſuam, Nemo enim ſapiens, ait Origenes, peccata committit: nihil tam ſtultos homines facit quam malitia; nihil ſapientiores quam virtus: fons, mater, radix ſapientiæ virtus, non ſecus, ac malitia omnia ex ſtultitia oritur, inquit Chryſoſtomus b, & hoc ſibi velle quod hic nunc dicitur; atque ultimæ dementiæ eſſe, ut ſeipſum lædendo quis non cognoſcat. *Qui male agit, odit lucem relinquit iter rectum, ambulatque per vias tenebroſas c*, captivitas peccati contigit non habenti ſcientiam d, & *non habens ſapientiam, perit propter ſuam inſipientiam e*, & quia eſt abſque conſilio, ac ſine prudentia, nec ſapiens, nec intelligens, nec *noviſſima* providens f. Theophylactus g *inſipientiam*, hic ſumi docet pro peccato, ſicut pro virtute, *ſapientiam*.

b Hom. 40. in Ioan.
c Ioan. 3. 20.
d Prov. 2. 13
e Iſa. 5. 13.
f Bar. 3. 28.
g Deut. 32, 29.

Verſ. 7.) Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem tota die contriſtatus ingrediebar.

DEplorat memoratas jam calamitates, & miſerias, mœrorem quoque tantum, ut præ magnitudine incedere rectus nequiret: ſed adeo is illum gravaret, opprimeretque, ut amplius curvari non poſſet, ſed prono corpore ſemper ingrederetur, ſupplicis in morem: lugentis, pullati, flagitantis opem, & veniam, & oculos levare in cœlum verens h, quamvis rex, nulli ſubjectus homini. Aptant Heſychius, & Chryſoſtomus ad Chriſtum iſta, paſſum, & ante crucem, & in ipſa cruce pro nobis multa, atque incurvatum uſque in finem, ideſt, uſque ad mortem, qui omni creatura ſublimior erat, ut eum qui ceciderat, erigeret. Poſſet eodem referri quod *inclinant ſe deorſum, digito ſcribebat in terra i*. Denique quod, *humiliavit, exinanivit ſemetipſum k*, Ambroſius explicat quoque de Chriſto, qui ſe paſſus eſt verberari, paſſus eſt corpus ſuum mortuum vulnerari, ſed nullum fœtorem pœnitentiæ, odorem vero gratiæ vulnera illa redolebant: non tabes mortis de vulnere ejus, ſicut hominum ceterorum, ſed fons vitæ ſcauriebat æternæ, ſaliente aqua cum delectatione *de fontibus Salvatoris l*. Præterea dicit miſeriis afflictum, ut ſalvos faceret homines in miſeriis conſtitutos. *Væ* enim, inquit Iſaias, ſecundum editionem LXX. *m qui vos miſeros faciunt: vos autem nemo miſeros facit:* ideſt, ſi juſti eſtis, nemo poteſt miſeros facere. Addit, curvatum Chriſtum, ut nos erigeremur, contriſtatum, ut nos lætificaret. Origenes id ſibi etiam voluiſſe Paulum ait, quum diceret n, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* qui videlicet antea perſequutus fuerat Ecclaſiam o. Hæc eſt illa triſtitia ſecundum Deum, quæ pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur, *ἀμεταμέλητον, cujus pœnitentia non pœniteat pœnitentem*, nec eam ullo umquam tempore deponat, & ſollicitudinem, defenſionem, indignationem, timorem, deſiderium, æmulationem, vindictam.

h in c. 3. Ep. ad Coloſſ.
i Luc. 18. 13.
k Ioan. 8. 6.
Phil. 2. 7. 8.
l Iſai. 12. 3.
m c. 33. 1.
n Rom. 7. 24
o 2. Cor. 7. 10

Damna quinque ex peccato hoc loco obſervata.

In tota ſententia iſta Pepinus argutè obſervat damna quinque ex peccato, privationem gratiæ, ſine qua *miſeri* ſumus: difficultatem bene agendi, in *curvitate* impoſſibilitatem reſurgendi ſecundum naturæ vires, *uſque in finem*: triſtitiam ſpiritualem, *tota die contriſtatus*: inferni pœnas, quas ait indicari verbo *ingrediebar*. B. Thomas miſeriam ſpectat in averſione à Deo, curvitatem in converſione, ac deflectione ad creaturam, angorem conſcientiæ, morſum, cruciatum in contriſtatione.

p hic & in Iſa. 58. & in Ep. 151. q. 8.

Miſer factus ſum.) Hieronymus p, *afflictus ſum*. Alia Pſalteria, & Ambroſius, Auguſtinus, Caſſiodorus, Innocentius, *miſeriis afflictus ſum*. Aliis ex Hebreo *incurvatus ſum* ita ut ſynonymum cum ſequenti verbo ſignificante *depreſſum, & humiliatum* כעוחישהזתי *nahhavethi ſachothi*. Forſitan legerant Lxx. & Hieronymus. נעכתי *nahhanethi*. *Miſer factus ſum*, idem valet, quod afflictatus, ἐταλαιπώρησα, quod importat etiam Hebræum ultimum verbum. *Miſeros facit* homines *peccatum q, & homo natus de muliere*, (*conceptus* videlicet *in peccatori r*) *repletur multis miſeriis ſ*, quas Innocentius redigit ad timores, dolores, ut afflictione (legit enim, ut dixi, *miſeriis afflictus ſum*) laborem deſignet; turbatio (quia legit quoque pro curvatus, *turbatus*) timorem: contriſtatio dolorem: longas vero miſerias eſſe, quia *uſque in finem*, & aſſiduas, qui *tota die*: ſpirituales, quia anima, (quam pro lumbis legit) *impleta illuſionibus*: corporales, quia reperitur, quod *non eſt ſanitas in carne*. Repletio miſeriarum illa, de qua Job, ſecundum vim Hebrææ vocis רגז *roghez*, ſignificat iræ commotionem, atque indignationem, adverſus mala ſua præſertim, quod attinet ad propoſitum noſtrum, adverſus peccata, quæ ſola vera mala ſunt, propter quæ merito nobis ipſis iraſcamur, ut ſatisfaciamus, nec amplius peccemus t. Senſum loci noſtri valde illuſtrant Jacobi u verba, *miſeri eſtote, & lugete, & plorate, riſus veſter in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem humiliaminimi in conſpectu Dei, ταλαιπωρήσατε καὶ πενθήσατε καὶ κλαύσατε*, & Syriace primo loco אתמככו *ethmacchechu*, humiliamini, quod verbum denuo reperitur in eadem editione, ubi noſtra habet *humeliamini*, Græca *ταπεινώθητι*. Itaque auctor noſter indicat non ſolas miſerias, ex peccato natas, ſed quas ſponte ipſemet ſuſceperit afflictationes in animo, & corpore, in ſatisfactionem pro peccato, &, ut Baſilius loquitur, quas ſibi in remedium paraverit iniquitatum, quæ caput ſupergrediebantur. Objectum miſericordiæ, miſeria, ut eam impetret iſtam objicit.

q Prov. 14. 4
r Pſ. 50. 2.
ſ Job. 14. 1.
t Pſ. 4. 5.
u c. 4. 9. 10.

Et curvatus ſum.) Deeſt conjunctio in textu Hebræo, quam tamen Hieronymus etiam poſuit, vertens, *& incurvatus ſum*. Dixi vero ſynonymum eſſe שחותי *ſachothi*, cum priore Hebræo verbo. Affine voce, & ſignificatione eſt שחח *ſachah*, quod hithpael ſignificat corpore proſtrare ſeipſum reverentiæ cauſſa, & ad ſuperbiæ depreſſionem oſtendendam, ut revera humiliati erigamur à Deo, & pondus agnoſcentes graviſſimum peccatorum, quod nos incurvat, & deprimit, ſicut mulierem illam per decem, & octo annos morbus ſuus x, quodque *corpus*, quod gerimus *aggravat animam, deprimitque terrena inhabitatio y*, ſublevemur à Chriſto, & ſanemur. Hieronymus explicans Iſaiam, *Numquid tale eſt jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam z? numquid contorquere quaſi circulum caput ſuum?* & iſtud ultimum docens fuiſſe inſtar circuli torquere corpus, & colla ſubmittere, triſtemque, incidere, confirmat iſtis verbis Pſalmi, & quæ ſequuntur, *Tota die contriſtatus ingrediebar*: Pagninus Iſaiam interpretatur, *numquid ut cur et quaſi juncum caput ſuum*. Alii, *ut deprimat, & incurvet caput inſtar hami recurvi*. Origenes quoque in commentario Pſalmi meminit de loco. Iſaiæ, & Ambroſius attingit. Triſtis Cain *facie concidit a* Achab humiliatus ambulavi *demiſſo capite*, ac, ut alii exponunt, ſenſim, ac pedetentim more mœrentium, & ut Chaldæa paraphraſis, *nudis pedibus*: Publicanus nec audebat *ad cœlum oculos levare b*: tandem demiſſio, incurvatioque capitis, & corporis, molem ſignificat calamitatis. Huc faciunt quæ de capitis exaltatione dicta ſunt Pſalmo III. c quia opponitur demiſſioni. Porro Gregorius d tractans de muliere inclinata, quæ omnino non poterat ſurſum reſpicere, ſcribit deſignare terrena cogitantem per incurvationem à mentis rectitudine, hoc ipſum de ſuo genere Davidem hic in ſeipſo exclamaſſe, quod non ſolum à ſupernis cogitationibus neceſſitas carnis dejiciat, ſed etiam voluptas illicita ſternat: quod incurvetur, ut tranſeant immundi ſpiritus e tamquam ſuper dorſum (*laqueum* enim *parant pedibus, & incurvant animam*:) quod gibbum geſtet quem lex à ſacerdotio removebat f: *fecit Deus hominem rectum g, non intelligens honorum ſuum jumentis ſimilis factus eſt h*, dejecta, mente ad ima. Ceterum, *curvari, & incurvari*, præter indicatas notiones humiliationis, adorationis, ſubjectionis, mœſtitudinis, aliam habet minime honeſtam, nempe, illicitæ commixtionis i, quod etiam ſcripturæ *humiliandi* verbo exprimunt; ſed hæc ad rem non eſt, niſi velis Davidem innuere adulterium ſuum: Illa magis qua *incurvari cerva* dicuntur ad partum, & pariendo rugitus emittere k, nam, ut eſt dictum Pſalmo XXVIII. *l vox Domini proparat cervas*, ideſt, verbum Domini elicit pœnitentiam, facitque, ut pœnitens exclamet: *miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem*, &c. *rugiebam à gemitu cordis mei*, & con-

x Luc. 13. 11
y Sapie. 9. 15
z in c. 78. 10
a Gen. 4. 6
b 3. Reg. 21
b Luc. 18. 13.
d verſ. 4.
e Hom. 31. in Evangel.
f Iſ. 51. 23.
g Pſ. 56. 7.
h Lev. 21. 20
i Eccl. 7. 30.
K Pſ. 48. 13. 21.
Curvari, & incurvari ut uſurpentur interdum
l Iob. 31. 10.

a Iſ. 26. 18.

& concipiendo, & ſpiritum Domini, ſalutiſque parturiendo a.

Uſque in finem.) In Pſalterio Ambroſiano, *uſque in finem valdè*, & in quibuſdam exemplaribus Baſilii, ἕως τέλος σφόδρα Hebr. eſt עַל מְאֹד *hhadmeod*, *uſque valdè*, quod Hieronymus reddit *nimis*: & epiſt. 151, *uſque ad finem* explicant plurimi *uſque in finem*, vel uſque ad mortem, vel uſque ad Chriſtum, finem noſtrum, ad quem donec perveniatur, dolor erit, atque turbatio Hieron. uſque dum confitendo purgaretur, quia ſine confuſione, & mœſtitia non dimittuntur peccata. Ambroſius, finem pœnitentiæ, hoc eſt, perfectionem, & conſummationem ejus intelligit, nec non Chriſtum, qui legis finis eſt b, ita, ut etiam perſeveranter ei compatiamur, & gaudeamus in paſſionibus noſtris, pro illo, & pro aliis, ſupplendo, quæ deſunt paſſionum illius pro Eccleſia in corpore noſtro c. Origenes *curvationem uſque in finem* deteriore ſumit ſenſu, uſque ad infimas res, ac terrenas. Poſſet præterea humilis innui ſupplicis habitus, ut incurvatio quanto maximè fieri poſſet, fuerit uſque ad terram, vertice tangendo humum, toto prono corpore, an ſeſe circumvolvendo in orbem, & reducendo, ſicut quum Elias pronus in terra poſuit faciem ſuam inter genua d; de quo ritu Pineda noſter e, Simplicior, veriorque ſenſus, *in finem*, ideſt, majorem, & mirum in modum, vel uſque ad ſummum, ut habet Chaldæa paraphraſis עַד לחדא *hhad lachada*, &c. vel ut exponit Euthymius, *omnino prorſus*, &c. ſic etiam perveniens ira Dei ſuper Judæos *uſq; in finem f*, eſt maxima, & extrema ira: dilectio Chriſti *in finem g*, maximè perfecta, & perfectius oſtenſa in diſceſſu ad patrem, ut ſit τὸ τέλος ἀντὶ τῆς πληρώσεως, ut ibi explicant Græci. Tantum erat pondus iniquitatum, quæ *ſupergreſſa* fuerant *caput*, & *ſic, ut onus grave gravata* ſuper peccatorem, ideſt, ſupra vires, ita ut ſuccumbendum fuerit ad humum uſque, præſertim cæcatis oculis non videntibus viarum offendicula h, *obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper in curva*.

b Rom. 10. 4
c Coloſſ. 1. 24
d 3. Reg. 18. 42
e in Iob. c. 15 v. 24. n. 3.
f Theſ. 2. 16.
g Ioan. 13. 1.
h Pſ. 68. 24.

Tota die contriſtatus ingrediebar.) Hieronymus, *tota die mœrens ambulabam*. Auguſtinus, *tota die contriſtatus ambulabam, ingredi*, & *ambulare* idem, ut nullum ſit in *ingrediendi* verbo momentum, quaſi ingreſſum indicaret in infernum, ut initio monui nonnullos velle, ſenſu videlicet morali, & accommodatio. Simplicem ambulationem important הלכתי *hiltachthi*, & ἐπορευόμην, ſive quo Symmachus utitur περιεπάτησα, *Contriſtatus*, dicitur קודר *koder*, & σκυθρωπάζων, vel σκυθρωπός, apud Symmachum. Hebræam vocem reddunt alii per *pullatum*, lugubri adhùc veſte indutum, atratum, tetrum, nigerrimum, obſcurum, facie ſubnigra. Cajetanus accipit de fuga Davidis in vulgari, humilique habitu, & cum lachrymis, quæ faciem lividam, luridam, ſqualidam, ſordidam, nigram, reddere ſolent, minime ſerenam. Participium, vel nomen Græcum ſignificat *vultuoſum*, faſtuoſum, mœſtum, tetricum, eum, qui præfert vultum triſtem, aut iratum: Ultimam notionem, quæ à themate σκύζεσθαι, & ὤψ ſumpta eſt; (illud enim eſt, *irritari*, & iraſci, hoc *vultum* valet;) Apollinarius ſequutus eſt, ita ut David ſibimet propter peccata ſuccenſeret, vultuque ipſo id præ ſe ferret.

Ἀχάλλον κακότητι πανῆμαρ δινήνον οἶμον.
Iraſcens vitio tota die conficiebam viam.

i 2. R. 12. 16.
K Pſ. 54. 4.
l c. 2. 18.
m v. 14.
n c. 3. 14.

Utrumque fuit in David, ira, triſtitia. Monitus à Nathan, ſeorſum jacuit ſuper terram i, contriſtatus in exercitatione ſua, & conturbatus à voce inimici, &c. k optans ad volatum gemebundæ, ac mundæ alas columbæ. *Anima*, inquit Baruch l, *quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali, & incedit curva, & infirma, & oculi deficientes, & anima eſuriens, dat tibi gloriam, & juſtitiam Domino*. Reorum eſt ſordidatos, & ſqualidos in publicum prodire ad excitandam ſui commiſerationem, quod Achab feciſſe jam retuli, & excitaſſe Deum ad miſericordiam: & in Pſal. 34 m, mœrentis deſcriptio fuit, *quaſi lugens, & contriſtatus ſic humiliabar*, ubi eſt קודר *Koder*, & שחותי *ſchachoti*, πενθῶν, & σκυθρωπάζων de quibus ante dixi. Relege Commentarium dicti Pſal. in quo ſunt præſenti percipiendo utilia non pauca. Videri poſſet hoc loco in iſtis verbis, *tota die contriſtatus ingrediebar*, ſupplendum, *coram te*, ſicut apud Malachiam n exprimitur: *quod emolumentum, quia cuſtodivimus præcepta tua, & quia ambulavimus coram te triſtes*, Græcè ἱκέται πρὸ προσώπου Κυρίου παντοκράτορος *ſupplices ante conſpectum Domini omnipotentis. Tota die*, hoc eſt, vita tota ærumnoſa, & luctuoſa lugendum, ut conſolationem in futura recipiamus o, plorandum, & flendum gaudente mundo p; ſed *væ ridentibus, quia lugebunt, & flebunt q*. *Secundum Deum triſtitia penitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſeculi autem triſtitia mortem operatur r*. *Quaſi triſtes* juſti ſemper gaudent; ſ quia ex ſancto luctu, animi gaudium naſcitur: & primus poſt charitatem Spiritus ſancti fructus, gaudium eſt t ſive conſolatio æterna *cum ſpe bona in gratia* u: & *ſpe gaudentes* ſunt qui *in tribulatione patientes x*.

o Mat 5. 5.
p Ioa. 16. 20.
q Luc. 6. 25.
r 2. Cor. 7. 10
ſ c. 6. 10.
t Gal. 5. 22.
u 2 Th. 2. 16
x Rom 12. 12

Salutare Innocentii monitum.
Pœnitere eſt pœnam tenere.

Salutare Innocentii monitum his, qui putant ſufficere ſimul, & ſemel de peccato dolere, ſtatim poſt gemitum recurrentes ad gaudium, & poſt fletum ad riſum; quum è contrario *pœnitere* ſit pœnam tenere. *Væ autem illis, qui lætantur quum malè fecerint, & exultant in reb. peſſimis y*.

y Prov. 2. 14

Verſ. 8.) Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea,

CAUSSA luctus, mœroriſque quoniam in teſtina omnia, ideſt, animæ facultates omnes utuntur, vehementerque diſcrutiantur hominum ludibriis, & irriſionibus, quibus plenæ ſunt; mala multa vexant viſcera mea, propter quæ ridebor, ludibrioque habeor: nihil toto in corpore intactum, & integrum, undique calamitates cingunt, langueo totus, ac debilior, non habitat in me, hoc eſt in carne mea, *bonum z*. Agitor in lumbis illis, renibus, femoribus, lateribus, flammis concupiſcentiæ. Pudet me morbi execrabilis, quem ea in parte ſentio, ita ut illud ab inimicis poſſim ſi reſciant. Ulcus eſt, atque fædum apoſtema in illis, femoribus, coxendice occupavit ea membra putredo tabeſque non ferenda, non nominanda, non ſolum caro, cicatricibus, & humoribus fœda, oſſa commota, & convulſa, corpus incurvatum, & debilitatum, ſed in præcordiis peſtilens affectio, ſic intus, foriſque graſſatur morbus. Turpiter ea ſum parte abuſus, quæ ſedes eſt prolificationis, alienam cognoſcens uxorem; ergo inter cetera beneficia ſpiritu afflatus divino, carni obtemperavi, illam fœdavi, & corrupi.

z Rom. 7. 18.

De luxuriæ peccato, ſtimuliſque plurima auctorum noſtrorum pars interpretatur. Adjiciunt nonnulli a quaſlibet aliàs tentationes, fallaciaſque Diaboli, & mundi. De morbo turpi Hebræi, de calamitatibus hac figurata dicendi formula notatis alii, maximè de irriſionibus, & cavillis. Cyrillus, de irriſo in paſſione, ac deluſo Chriſto, Chryſoſtomus, & Heſychius; irriſoribus verò non fuiſſe ſanitatem in carne Chriſti, hoc eſt, in ſuppliciis carnis ejus. Deluſum ergo ſe lamentatur David, & quum peccaret, & poſtquam peccavit in honeſtis imaginibus, motibuſque; ſed, ut expleret libidinem, deluſiſſe animam ſuam, & proximum Deum ipſum irriſiſſe, *ludus* enim phraſi ſcripturæ dicitur coitus carnalis, ut alibi dixi b, in carne non fuiſſe ſanitatem, quia non contentus luctu, pœnas de illa ſumpſit, ad correctionem injuriæ in Deum, ut Baſilius, ac Euthymius declarant. Deploranda ſane res, ut ſanctis non raro cogitationibus, meditationibus, precibus ſacrificii importune interveniant, velut Abrahæ veſpertino ſacrificio, impuræ aves c, polluantque animum, & illudant vanarum, ac turpium phantaſmata rerum: ut infelix homo, quod non vult faciat, & membrorum legem invitus patiatur d. Quum irruunt menti rerum, quas non quærit imagines, quas quærit, non occurrunt, illuſio magna, & plangenda, ut ait Auguſtinus. Illudit, ac inſultat Diabolus quaſi graviter laborantibus, inquit Ambroſius, & deridet ſabbata noſtro e. Idem docet ideò fornicationis opera *illuſiones* vocari, quod in iis corporis æſtus, ſive coitus celebritate ſæpe concitetur: propterea dici fornicantem peccare in corpus ſuum f, quod infirmetur caro, & inquinetur, non fructum poſteritatis operando: Idem traditur à Didymo. Illuſiones in hoc genere ſuas confitetur Auguſtinus Deo, ac deplorat g illuſorem conſummatum, de quo Iſaias h: Hieron. i Diabolum affirmat, deque eodem præſentem locum accipit.

a Auguſt. Caſſiod. Inn.
Ludus phiſ. Scripturæ ut uſurpetur.
b in c. 6. Actuum 41.
c Gen. 15. 10
d Rom. 7. 23
e Thren. 1. 7
f 1. Cor. 6. 18.
g 10. Conf. c. 30.
h c. 29. 20.
i Ibidem.

Lum-